



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Pastorum Sive Instructio Practica Neoparochorum

Dirckinck, Johann

Treviris, 1702

Manualis Pastorum, Pars I. De Persona Pastoris, eiusq[ue] internis
virtutibus ac qualitatibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51873](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51873)



MANUALIS PASTORUM

PARS I.

*De Persona Pastoris, ejusq; internis
virtutibus ac qualitatibus.*

BINAS præfens Manuale
Partes complectitur :
prima agit de dotibus,
virtutibus & qualitati-
bus pastoralibus inter-
nis; altera de Sacramentorum admi-
nistrationibus, officiis, exercitiisque
externis, circa proximum peragen-
dis, tractat. Ab internis meritò
auspicamur; ex his enim omnis vis
& energia in exteriora dimanat;
Omnis gloria ejus filia Regis ab intus.
psal.

psal. 44. 14. Deinde ad externa progredimur, ut sit Pastor interiùs, exteriùsque munitus & perfectus; evadátque, quod de Simone Sacerdote magno legimus, Eccli. 50 10. *Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso, Virtutum.*



C A P U T I.

De Persona Pastoris.

ANte omnia Pastorem novellum scire ac probè intelligere convenit, quid sit Pastor animarum, qualem personam sustineat, quali officio & dignitate fulgeat; ut eidem debite respondeat & faciat satis. Quid igitur est Pastor animarum?

1. Pastor est *Clericus beneficiatus, curam actualem animarum habens.* Ut verò talis sit, requiritur 1. *Vocatio divina, ut Salvator noster insinuat*

nuat Joan. 15. *Non vos me elegistis ; sed ego elegi vos ; & posui vos , ut eatis , & fructum afferatis.* Et S. Paulus ad Hebræos c. 5. *Nullus sumit sibi honorem , sed qui vocatur à Deo , tanquam Aaron.* Qui igitur non vocatus se in munia pastoralia ingerit , aut intrudit , jure metuit , ut cum Core , Dathan , & Abiron miserè intereat.

2. Requiritur Institutio , seu beneficii à legitimo Superiore facta concessio. 3. Requiritur authoritas , seu aestimatio populi , de magna Pastoris probitate , doctrina ac diligentia : hæc enim ad Dei gloriam amplificandam , fructumque apud populum faciendam , non parùm adjuvat.

2. Pastor dicitur *Curio & Curatus* , seu curam habens animarum ; & quidem non ex charitate solùm ; verùm etiam ex justitia : hinc enim datur illi beneficium & munus pastorale , nec non stipendium : ut ex Concilio Tridentino , variis locis patet. Hac de causa ex justitia & obligatione re-

netur

netur oves suas verbo Dei pascere & docere: tenetur pueris, rudibusque fidei rudimenta tradere; tenetur oves suas agnoscere, pro iis sacrificium offerre, bono exemplo præire, Sacramenta administrare, aliæque ad animarum curam spectantia præstare: ut in Concilio Tridentino Sess. 23. c. 1. de reform. & sess. 24. c. 2. & 4. legere est. Quæ si negligat contra justitiam peccat; meritoque reformidat horrendum væ, quod Deus per Ezechielem illius temporis Pastoribus intentat c. 34. *Væ Pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos, gregem autem meum non pascebant.*

3. Pastor est primarius Parochiæ suæ Director. Est Minister Christi, & Servus; non vilis, non abjectus & mediastinus; sed honorarius; in munis perquam honoratis Deo serviens; quales sunt regii Dispensatores, Oeconomi & Vicarii; & qualem se gloriatur Apostolus Rom. I. v. I. *Paulus servus Jesu Christi; est enim quilibet Pastor,*

Pastor, *Dispensator mysteriorum Dei*
 I Corinth. 4. græcè *Oeconomus*,
 seu *Domûs* curam gerens, in ea om-
 nia regens, distribuens, ordinans; &
 mysteria arcana divina tam doctrinæ,
 quàm Sacramentorum dispensans. Ad
 quod, adeò sublime munus, magna
 prudentia, experientia, vigilantia &
 virtus requiritur.

4. Pastor est *Doctor, Magister &*
Angelus suæ Parochiæ, *cujus labia*
scientiam custodiunt Malachiæ c. 3. ut
 Parochiani veritatem & doctrinam
 ex ore ejus requirant. Unde mag-
 num Dei beneficium est, si ejusmodi
 Pastores doctrinâ conspicuos populis
 concedat, quemadmodum olim in
 signum benevolentiæ, populo Israëli-
 tico promisit; Jeremiæ c. 3. *Dabo*
vobis Pastores juxta cor meum, qui pas-
cant vos scientiâ & doctrinâ. Et S. Pau-
 lus ad Ephes. c. 4. 11. *Ipse dedit quos-*
dam Apostolos, quosdam autem Pro-
phetas, alios verò Evangelistas; alios au-
tem Pastores & Doctores: ubi adverten-
 dum

dum est, quòd Apostolus alios à se invicem dividat; Pastores verò & Doctores conjungat; insinans, ut ait S. Augustinus, Pastorem debere esse Doctorem. Non ait, inquit S. Hieronymus, alios esse Pastores & alios Magistros; sed eosdem Pastores & Magistros esse, ut qui Pastor est, esse debeat & Magister; nec in Ecclesiis, quamvis sanctus sit, Pastoris sibi nomen assumere; nisi possit docere, quos pascit.

5. Pastor est tanquam Pater spiritalis suæ Parochiæ, qui cum Apostolo potest dicere: In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui. 1. Corinth. 4. 15. Id est, prædicando & instruendo doctrinâ evangelicâ vosque baptizando, Christo & Ecclesiæ vos genui, & educavi; lac doctrinæ Christianæ in potum dedi; verbo Dei pavi; in Sacramento Baptismi & Poenitentiae, veste gratiæ vos indui; pane vitæ in mensa Eucharistica vos refeci. Verè igitur in Christo Pater est; unde Concilium Tridentinum
fess.

fess. 23. c. 1. de reform. vult *Eum pau-*
perum & miserabilium personarum, cu-
ram paternam gerere, hospitalitatem
servare. fess. 25. c. 8. de reform. aliáq;
 benevolentia paternæ signa exhibe-
 re. Quin & veluti Mater blanda &
 benigna, sit oportet: suo sinu & cha-
 ritate parochianos omnes fovens &
 consolans, componens & ornans, ac
 tanquam filios complectens & cir-
 cumferens. Mater gravida, si vivit,
 sibi uni non vivit; si moritur, sola non
 moritur; ita & Parochus; ac proinde
 tam suæ, quàm suorum salutis curam
 magnam gerere tenetur. Illustre hac
 in re exemplum præbuit S. Augusti-
 nus verus Ecclesiæ Hipponensis Pa-
 stor, ut patet ex ejus Homilia 26. in-
 ter 50. *Me, inquit, putate Matrem es-*
se animarum vestrarum, & ita vos vel-
le componere (sicut Mater Filiam pro-
priis manibus componit & ornat)
ut in vobis nec macula, nec ruga possit
ante tribunal æterni Judicis apparere.
Animabus enim vestris, non solum or-

B

namen-

namenta, sed etiam medicamenta desiderans providere, studeo dissuta consue-
re, conscissa sarcire, vulnerata curare,
abluere sordida, reparare perdita, &
ea qua sunt integra, spiritualibus mar-
garitis exornare. Similia ut praestet Pa-
stor quantâ eum in suos charitate fer-
ri decet; cùm amor spiritualis carnali
cedere non debeat?

6. Pastor est Speculator Parochiæ
sua. Quemadmodum Deus Ezechie-
lem c. 3. 17. nuncupat: *Fili hominis*
Speculatorem dedi te Domui Israël.
Chaldæa vertit, Doctorem, Septua-
ginta Inspectorem. Sicut belli tempo-
re Speculator è turri aut specula pro-
spectat, num hostes incurrant, ne ci-
ves malè cautos opprimant. Ita Pastor
provideat & moneat de adventu Do-
mini, qui quasi fur venit ad iudicium,
ne peccatores malè cautos opprimat.
Hanc vigilantiam discat Pastor à
psittacis Brasiliæ, qui dum gregatim
pascuntur, unum è grege suo specu-
latorem in arboris cacumine collo-
cant,

cant, qui ingruente periculo, signum
 edat, quo reliqui a volando salutem con-
 sulant. Quod si autem speculator
 dormiat, non attendat, hoste ingruen-
 te, non clamet, sed taceat, quanta ci-
 vitati universæ creat pericula? Au-
 dies de ore meo, ait Deus Ezechieli I.
 c. v. 17 & annuntiabis eis. Si dicen-
 te me ad impium, morte morieris, non an-
 nuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut
 averteatur à via sua impia, ipse impius
 in iniquitate sua morietur, sanguinem
 autem ejus de manu tua requiram. Si
 autem tu annuntiaveris impio, & ille non
 fuerit conversus ab impietate sua; ipse
 quidem in iniquitate sua morietur, tu
 autem animam tuam liberasti. Quæ
 Deus asseverat Prophetæ eadem con-
 veniunt Parocho; quod enim in veteri
 lege erant Prophetæ, in nova cen-
 sentur esse Pastores, Doctores & Con-
 cionatores.

Pastor igitur, ut monet S. Grego-
 rius hom. II. Tanquam speculator in
 mentis altitudine sedeat, atque vocabu-

lum nominis, ex virtute actionis trahat. In alto debet stare per vitam, ut possit prodesse per providentiam: prospicere adventum hostium & populo annuntiare. Imitetur rursus S. Augustinum, pastorem perquam vigilantem; qui de se ait l. 3. de Verb. Dom. serm. 12. Domine scis quia dixi: scis quia non tacui, scis quia animo fleui, cum dicerem & non audirer. Ipse puto quod ratio nostra integrasit: quia cum vidi gladium venientem, velut speculator annuntiavi impio impietatem suam, id est, correxerem, non fugi: & ideo liberavi animam meam. Si verò Pastor non clamet, instar canis muti, non latret, instar caeci non videat, nec attendat: An non Deus sanguinem de manu ejus requireret? Evenius Pastor oves civitatis custodiens, cum suâ incuriâ permisisset lupum ingredi in ovile & sexaginta oves devorare, judicio Civitatis damnatus, oculis orbatus est, ut narrat Herodotus l. 9. Quid merebitur Pastor, si animas Jesu sanguine re-

re-

redemptas, mundo universo pretio-
fiores, negligat, derelinquat, & Lu-
po avernali devorandas objiciat?

7. Pastor est *Sal terra* ut oves suas
à corruptione & putredine servet;
*Lux mundi est, lucerna supra candela-
brum posita est, Matth 5. ut luceat om-
nibus qui in domo Parœciæ ejus sunt.*
Est civitas supra montem posita, ci-
vitas refugii, ut ad eum tanquam
asylum, omnes confugiant. Quod si
civitas refugii, hostibus tradatur: si
lumen tenebræ fiant, & si *sal evanue-
rit, aut corruptum fuerit in quo salve-
tur? si vos per quos condiendi sunt, quo-
dammodo populi* (ait S. Augustinus l. i.
de serm. Dom. c. 10.) *amiseritis regna
coelorum, qui erunt homines, per quos à
vobis error auferatur, cum vos elegerit
Deus, per quos errorem auferat cetero-
rum?* sententia à Salvatore jam dudum
lata est: *ad nihilum valet ultra, nisi ut
mittatur foras, & conculcetur ab homi-
nibus.*

Ex dictis infer, ô Pastor anima-

B 3

rum!

rum! quantâ aptitudine & capacitate; quantâ curâ & sollicitudine, quantâ prudentiâ & discretione; quantâ scientiâ & doctrinâ; quantâ virtute, perfectione, charitate & sanctitate te coruscare oporteat; ut tanquam Rector, Doctor, Pater, Mater, Speculator & Ductor parochiæ tuæ Domum bene regas atque gubernes; ut concionando catechizando, Sacramenta administrando, ceteraque pastoralia munia exercendo, oves tibi commissas dirigas, pascas, doceas, foveas, cures, ornes, & sine ambagibus, sine periculis, sine defectibus & erroribus, ad portum æternitatis felicitis perducas: neque hæc officia, ad quæ ex iustitia obligaris, negligendo, vel omittendo, vel oscitanter obeundo, te ipsum, tibi que commissos in æternæ damnationis barathrum deturbes.



CAPUT II.

De vocatione Pastoris.

Ecclēsia Christi Domini nostri sponsa, varietate circumdata, & tanquam castrorum acies bene ordinata, varios numerat gradus & status fidelium, scilicet saecularem, Ecclesiasticum & Religiosum: ad quos in suo flore & vigore conservandos, divina Providentia; quae omnia disponit suaviter & fortiter, subiecta ordinat, allicit, vocat non quidem jam disertā voce, ut olim Apostolos, *Veni sequere me*; sed ordinariē per impulsus & inspirationes; quibus acceptis, si quis vocetur ad statum sacerdotalem & pastorem; prudenter agere, vocationem examinare, sedensque *sumptus computare debet, si habeat ad perficiendum hanc perfectionis turrim*; & cum bellum in hoc statu sit gerendum, cum multis hostibus, tentationibus & vitiis;

B 4

expen-

expendat oportet, num possit resistere, & cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se; omnibusque rite perpensis, & luce, multis precibus, è cælo petitâ, tandem electionem & conclusionem faciat. Pro qua Pastoratûs Candidato sequentia proderunt documenta: quibus 1. Modus de statu pastoralis deliberandi. 2. Electionem faciendi. 3. Electionem perperam factam corrigendi & redintegrandi, exponitur.

Documentum I. Cùm ex recta statûs electione, magna ex parte dependeat lætitia cordis, conscientia pax, profectus in spiritu, bona vitæ nostræ directio, & in virtute perseverantia, atque ut verbo complectar omnia, æterna beatitudo nostra & salus. E-contrâ verò, cùm ex erronea & mala statûs electione, proveniant totius vitæ decursu tristitiæ, turbationes, defectus, errores, peccata, & scandala, non sine præsentissimo damnationis

æter-

aterna periculo: quis non videt, hinc non properè, non temerè; sed prudenter, ac cum mora procedendum, serio deliberandum, Deum assidue ferventerque deprecandum; omniaque media, ad bonam electionem, esse adhibenda? Quem in finem jure suadetur ostitidua S. Ignatii ascesis, in qua praeclarissima, bonae electionis regulæ traduntur, Dæmonis fraudes deteguntur & consilia salutaria suggeruntur.

Documentum II. Et licet hoc pro omni statu expediat, vel maximè tamen conducit, imò necessarium est in electione statûs pastoralis: sanè si audacter & temerè privato cuidam Ministerio se addicere, divinæ voluntatis nutu non explorato, magnis est periculis obnoxium; quid erit publicum, sine ea capessere, & quidem omnium maximè arduum, regimen animarum? *Ars artium, regimen animarum.* Hoc est maximum periculum ait Doctor Angelicus in Epist.

ad Hebr. c. 13. *Hominem de factis al-
terius rationem reddere, qui pro suis non
sufficit.* Quid periculosius, quàm
gravissimum sibi onus imponere,
quando humeri, vires & auxilium ad
portandum deficiunt? Quid stolidius,
stultiusque, quàm supra debile fun-
damentum, ingentem fabricam & æ-
dificii molem construere? simili ra-
tione, quid imprudentius, quàm ca-
ram animarum suscipere; si nec per-
sonæ qualitates, nec vires, nec facul-
tates, nec scientiæ, nec virtutes, aliâ-
que talenta convenient aut respon-
deant? Quid hîc aliud sperandum,
nisi ut ædificium tam labili funda-
mento superstructum, cum jactura vi-
tæ æternæ corruat & collabascat?

Documentum III. Hinc patet ad
oculum, si quis audacter ac temerè
in munus pastorale inolet, si à Deo
non vocetur; nec talenta convenien-
tia adferat; malè & infeliciter rem
ipsi cessuram; quia malè suo officio
fungetur, gravissimisque salutis æter-

ne periculis se exponet : sicut enim à principio, in electione viæ errans, quò plùs progreditur, eò aberrat amplius : ita qui alium, quàm à divina Providentia, sibi ordinatum viæ ac vitæ statum eligit, eò à fine suo, id est æternâ salute, deviat latius quò procedit longius; cum auxiliis & gratiis, quibus in alio statu, à Divina Providentia instruendus erat, in hoc privetur; & instar ossis loco & juncturâ suâ moti, absque dolore & deformitate nihil operetur. Deus ad eum nos statum vocat, eumque cupit nos eligere & amplecti, quem ille paternâ suâ providentiâ, tanquam medium valde accommodatum, ad nostram salutem, nobis constituit; simulque vites & auxilia ad ejusdem statûs onera & obligationes ferendas offert : quod si quis divinæ huic vocationi resistat, aliûmque statum in-
eat, ipse sibi cœli portam occludit, dum filium mediorum, quod divina Providentia, ad eum salvandum,

constituerat, abscindit; onusque sibi imponit, quod fortè supportare non poterit: neque enim solet Deus vires suppeditare ad onus portandum, quod ipse non imposuit; nec subsidia ad eum statum præbere, ad quem ipse non vocavit: at, inquis, auxilium à Deo flagitandum est: sed quæ obsecro, fiducia, quis à Deo auxilium petet, ad superandas difficultates, in eo statu occurrentes, quem, propriam sequendo voluntatem, contra ipsius divinam, elegit? utinam, utinam, hæc bene perpenderent quotquot, licet incapaces sint, variis tamen artibus ac modis, & non rarò illicitis, Episcopatus, Pastoratus, aliásque præbendas acquirunt, aut nundinantur!

Documentum IV. Quænam verò deliberanti, rectæ electionis praxis observanda est? Innuit eam Salvator, dum ait: *Volens turrim edificare, sedens prius computet sumptus, si habeat ad perficiendum.* Hinc parochiæ Candidatus, ne in re tanti momenti erret, vera

vera

veræ vocationis signa, diu, diligenterque secum perpendat, & examinet: atque hæc tria media adhibeat, lumen rectæ rationis subsidium orationis, & consilium prudentis. Quare ante omnia

1. *Mediante lumine rectæ rationis, sedens compute sumptus, perpendatque hæc tria, suam intentionem, eruditionem, probitatem. Primò quidem scrutetur finem suum, dicatque ipse sibi: Quid quæris? quo fine curam animarum suscipis? Quid intendis? An Dei gloriam, & salutem animarum? An verò sustentationem solùm, divitias, honores, consanguineorum promotiones, familiæ nobilis conservationem, proprias commoditates, aut similia lucra terrena? si hæc postrema quæris, mercenarius es, non Pastor: à carne & sanguine, à mundo & amore proprio; non à Deo vocaris. Non pascunt boni Pastores, ut comedant; sed comedunt, ut pascant ait S. Bernardus, in illud Ec-*

ce nos reliquimus. Nec major in mundo perturbatio est, quàm si media finis, & finis mediorum locum subeant: *uti fruendis, & frui utendis, summa est perversitas*: inquit S. Augustinus. Finis ergo sit spiritualis, nihil terreni admixtum habens; quamvis sustentationis spes, aut quid simile honestum; impulsivum & finis secundarius, non primarius esse valeat. Sunt verò in munere pastorali tria, proventus, gradus, opus: qui proventum pro fine habet, avarus est; qui gradum dignitatis, ambitiosus est; qui opus & laborem, verus pastor est. Unde rectè Apostolus dixit: *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Opus dixit, non opes non honores, non propria commoda.*

Secundò, *Sedens computet sumptus* & examinet num instructus sit talentis naturalibus, sanitate, ætate, ingenio, memoriâ, voce; & artificialibus seu acquisitis, ut sunt variæ scientiæ, de quibus capite insequente. Nemo sanè

sanè populi Doctorem & Magistrum agere potest, absque scientia ; nemo docere, qui non didicerit.

Tertiò *sedens computet*, dispiciat & examinet mores suos & vitæ probitatem : qui juventutem suam in sceleribus fœdis traduxit ; & in sordibus immunditiæ atque intemperantiæ computruit, & peccatis frequentandis, habitum, quodammodo insuperabilem contraxit ; certò sciat se non esse destinatum Ecclesiæ sponsum : neque enim Deus vocat indignos, nec vinum novum in utres veteres & sordidos mittit, nisi priùs illos purget ac disponat : teste D. Thomâ in 2. Corinth. 3. ubi asserit : *Illi, quos Deus ad aliquid eligit ; ita preparat ; ut ad id, ad quod eliguntur, inveniuntur idonei.* Atque hæc sunt, quæ lumen rationis dijudicat & discernit.

2. Candidatus Parochiæ adhibeat *subsidium orationis*, quâ lucem à Deo efflagitet, ut voluntatem divinam cognoscat. *In his omnibus deprecare*

At-

*Altissimum, ut dirigat, in veritate viam
 tuam Eccli. 37. 19. Cum ignoremus,
 quid agere debeamus; hoc solum habe-
 mus residui, ut oculos nostros dirigamus
 ad te. Jerem. 10. 27. Juvat quoque
 crebrius eum in finem offerre sacro-
 sanctum missæ Sacrificium, quod mi-
 ra illuminandi, gratiamque impe-
 trandi virtute pollet. Confugien-
 dum etiam, ad beatissimam Virginem;
 S. Angelum Tutelarem, aliisque San-
 ctos Patronos. Plurimum denique
 conducet, si quis, ut antè diximus,
 sepositis tantisper aliis negotiis, exer-
 citiis spiritualibus S. Ignatii vacet;
 in hac enim quiete, vox interna Spi-
 ritûs Sancti clariùs percipitur; in
 hac, sub æternorum consideratione,
 mens illustratur: in hac, præstantissi-
 ma electionis methodus & motiva
 proponuntur; ut scilicet illud nunc
 eligas, quod in hora mortis, & judi-
 cii te elegisse voles. Exemplo præ-
 luxit S. Augustinus: is enim à Vale-
 rio Episcopo jam sene, compulsus,
 ad*

ad opem illi ferendam in animabus
 pascendis; literas ad eum exaravit;
 quibus reverenter quidem, sed cali-
 das inter lacrymas, rogavit, *Vt tantil-
 lum saltem temporis sibi concederet, quo
 solus secum perpenderet, grave pondus
 operis, quod aggrediebatur; ne suis in
 illo dein obeundo, partibus deesset, cum
 magnopere formidaret, ad clavum se-
 dere, priusquam remum rectè tractare
 didicisset.* Epist. 148. ad Valerium.
 Ex quo patet, quàm laudabiliter ad
 recollectionem nonnullam & asce-
 seos solitudinem se recipiant, qui
 deinde per vastas oceani undas &
 procellas alios debent devehere,
 præsertim dum de hoc statu seriò co-
 gitant deliberare.

3. Parochiam desiderans adhi-
 beat *consilium prudentis*: poterit enim
 alterius consilium exposcere, at non
 cujusvis; sed viri doctrinâ & virtute
 præstantis, ab omni perturbatione &
 animi passione liberi: quemadmo-
 dum Saulus, licet Dominum rogaret:

Quid

Quid me vis facere ? tamen ad Ananiam remissus est. *Ingredere Civitatem, ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Ita quoque Paroeciæ proculus procedere poterit. *Causam tuam tracta cum amico.* Proverb. 25. 19. Non autem cum inimicis, quales sunt consanguinei & cognati: *Inimici enim hominis domestici ejus.* Matth. 10. 36. Qui sæpe non quarunt gloriam Dei & salutem animarum; sed seipfos, & lucra, commodaque propria; ut nimirum & ipsi de altari vivant: hinc audacter & intrepidè ad suscipiendam Parochiam impellunt & quodammodo cogunt. Relinquendi ergo hi omnes ad radicem montis, ubi de perfecto obedientiæ sacrificio, cum Abraham, in monte peragendo, agitur.

Documentum V. Objiciet fortasse nonnemo; si tam ardua tamque periculis vallata est cura animarum, & functio pastoralis; totque ac tanta ad eam requiruntur; quis eam suscipere audebit? imò, quis non velis, remisque

nisque refugiet ac declinabit? Ardua
res est, fateor, cura animarum, laborio-
sa admodum & molesta; sed majora
sunt merita, major merces & corona:
quid enim est tota vita Pastoris, nisi
catena & continua series operum cha-
ritatis & misericordiae; quae si debite
peragantur, nec minimum suam per-
det mercedem? Multa quoque fa-
teor, intercurrunt pericula; sed non
deest Dei omnipotentis tutela & An-
gelorum Sanctorum custodia; & vin-
centes manent praemia aeterna. Mag-
na etiam ac multa requiruntur talen-
ta, ut libens concedo; sed non in su-
premo gradu: summus virtutis ac
scientiae gradus optandus quidem fo-
ret, sed non requiritur; quia in hoc
rerum statu, difficulter reperitur: a-
deoque gradus conveniens sufficit.

Quapropter nemo, qui aptus est,
animum despondeat: non dissuade-
mus hoc loci munus & onus Pastoris,
si quis ex signis praedictis, liquidò se
vocari cognoscat: Pastores enim om-
nino

nino

nino gregibus sunt necessarii & quidam boni, ne greges à lupis devastentur & pereant: sed hoc solum dissuademus, ut ne quis præfidenter & temerè se ingerat; cùmque inidoneus & incapax sit, se & oves suas in precipitii periculum adducat: *Cùm Pastor per abrupta graditur, sic, ut ad precipitium grex sequatur.* ait S. Gregorius l. 1. pastoralis c. 2.

Deinde ad totum deliberationis negotium diligenter instituendum, hortamur; ubi de statu religioso incundo agitur, in quo sub obedientia vivitur, longè faciliùs & expeditiùs deliberatio & electio confici potest, quàm cùm de vocatione ad curam pastorem agitur, ubi quis aliis præest, aliòsque regit, ad quod plus requiritur. Unde S. Thomas docet, etiam Diabolo suadente statum religiosum amplecti licere: consilium enim bonum, vel ab inimico datum, admitti potest: at munus pastorale pluribus periculis septum,

ma-

majore deliberatione indiget : eâque de causa S. Bernardus pluribus subef-
 se Pastoribus malebat , quàm aliis præfse : *Quis*, inquit *dabit mihi cen-
 tum in mei custodiam deputari Pastores ?*
 Epist. 42. ad Heur. magisque timebat
 rictum & dentes lupi, quem irritare
 debebat in custodia aliorum , quàm
 virgam plurium, in sui custodiam ex-
 cubantium. *Plus*, ait, *timeo dentes
 lupi, quàm virgam Pastoris.* I c. Igi-
 tur non segniter & oscitanter , sed
 strenuè, seduloque deliberationis ne-
 gotium , parœciæ Candidatus , in-
 stituat.

Documentum VI. Et si quis à Deo
 ad munus pastorale vocari se sentiat,
 talentisque convenientibus, tam suo,
 quàm aliorum judicio, instructus cen-
 seatur ; non recuset obstinatè , non
 detrectet onus : sicut enim in curam
 animarum non vocatum se ingerere,
 grandis temeritas & audacia est ; ita
 vocanti Deo non obedire & tergum
 oneri subtrahere, magnæ est rustici-
 tatis

tatis & contumaciæ. Quare Anno 1621. Cardinalis Bellarminus ad Episcopum Virdunensem, ob animarum curam de salute sua anxium, hâc ratione scribebat: Si is, qui dilexit nos, & animam suam pro ovibus posuit, vocet nos, dicâtque: *Pasce oves meas, si me amas*: Ecquis erit, qui respondere Domino audeat: Nolo pascere oves tuas, ne perdam animam meam; nisi sit aliquis, qui non Deum, sed seipsum amet? Dei amator verus, cum Apostolo ait: *Malo anathema esse à Christo, pro Fratribus meis, quàm non subire sarcinam, quam mihi amor divinus imposuit*. Quanquam discrimen salutis nullum esse potest, ubi charitas regnat: nam esto imprudentes & ex imbecillitate, in multis labimur, nõne *charitas operit multitudinem peccatorum*? Hæc verè & præclare Bellarminus.

Observanda tamen & bene notanda est cautela, quam attexit: *Modò, inquit, conscientia testis sit, non quasi*
viffe

viffe nos, non optasse, non elegisse locum
 sublimiorem, & in presentia, honorem
 nihili ducere, quo & abdicare nos, si li-
 ceret, luberet. In hoc casu, ait, est quod
 acquiescamus, divina voluntati, quam
 Pontifex nobis manifestavit. Si Deo, si
 opifici, si Redemptori nostro placuit hæc
 in pericula nos conijcere, quinam su-
 mus, ut possimus ei dicere: cur ita fecisti?
 Meritò sanè hæc Pastores, Bellarmi-
 ni animo, sensuque præditos, erigunt
 & consolantur.

Cùm non nemo in hoc bivio consti-
 tutus & fluctuans S. Bernardum con-
 suleret, ab eo audiit: *Deus forsàn vo-
 cat, quis audeat dissuadere? fortè non
 vocat, quis appropinquare consulat?
 Quare unusquisque, sicut vocavit Deus,
 ita ambulet.* Ad Ephes. 5. Architecto
 tam non probatur, si basis columnæ ca-
 piti imponatur, quàm si columnæ ca-
 pitellum substernatur. Dei vocatio
 est sequenda; voluntas divina, ut
 norma, amplectenda.

Quocirca electurus in una libræ
 lan.

lance, collocet suam propensionem, complexionem, vires, ingenium, memoriam, iudicium, vocem, doctrinam, virtutem, omniáque reliqua talenta naturalia & acquisita; vel horum defectum; commoda item & damna, tam spiritualia, quàm temporalia, in ordine ad finem salutis æternæ, & præmia magna, quæ in cælo obtinebit; si officio suo probè functus fuerit. In altera bilancis scutella, ponat damna & pericula animæ, tam suæ, quàm suorum, & supplicia, quæ subibit in inferno, si vel ineptus cum sit, onus admisit; vel si admissum malè gesserit: & quo inclinaverit momentum rationis fide illustratæ, & quod hæc indicaverit, & magis esse voluntati divinæ conforme, suæque saluti expediens, illud eligat, & amplectatur.

Documentum VII. Aspiranti ad Parochiam; ad statûs hujus pericula faciliùs evadenda; unicè suadendum & commendandum est; ut diu antè se

se

se præparet ac disponat; non solum in acquirendis scientiis, verum etiam & quidem multò magis in necessariis virtutibus: subitæ mutationes, uti in natura, ita & in moribus, raræ, & rarò veræ, constantésque inveniuntur, ut scilicet quis transeat à frigore vehementissimo, vitæ in omnem licentiam profusæ, ad calorem maximum vitæ perfectæ, qualis in animarum Rectoribus requiritur. Quis enim credat, quòd is, qui heri erat Simon Magus, hodie futurus sit Simon Petrus? heri in acie pugnantium contra Christum Coryphæus, hodie pro Christo bellantium primipilus? Quis sibi persuadeat, quòd is, qui heri nequidem discipulus erat in schola perfectionis; hodie in ea Magistrum agere queat? Qui heri Sacerdotalis statûs labes & probrum erat, hodie Præsulis dignitate fulgeat? *Sic unâ die Sanctos fingimus, ingemiscit Naziansenus orat 20. eosque sapientes esse iubemus, qui nihil didicerunt, nec*

C

ad

ad Sacerdotium quidquam attulerunt, præter velle.

Longâ igitur præparatione, informatione, perpolitioe ac dispositione opus est, ut non sequatur abortus; sed partus perfectus. Longâ debet vitam suam probatione monstrare, cui gubernacula committuntur Ecclesie. Dist. 61. c. In Sacerdotibus. Dist. 49. c. Prohibentur Dist. 6. c. miserum. c. miramur. c. Episcopum. c. Quid proderit?

Documentum VII. Sed quid demum aget, qui statum pastorem malè se elegisse agnoscit?

1. Ante omnia dolorem concipiat, pœnitentiam agat, paratòque animo ad quamvis pœnam subeundam, Deo se offerat, atque ita à devio, in viam redeat.

2. Timeat, ut monet S. Gregorius in prologo pastoralis: *Pastoralis cura pondera, qui vacat, incautè non suscipiat, & is qui incautè expetiit, pertimescas.*

cas.

cat. Timor autem sit prudens, non qui inutiliter torqueat, sed qui animum excitet & calcar addat ad alacrius munus suum obeundum. Talem quoque formidinem nonneminis, vitæ electionem malè factam, metuenti, suavit S. Bernardus *Semper timere, semper pœnitere, semper securum non esse, sicut scriptum est: Beatus homo, qui semper est pavidus.* Ne tamen ignoraret, de quo timore Bernardus loqueretur, mox addidit: *Vides quem timorem incutere nitor, non qui tibi sit laqueus desperationis; sed qui spem tibi acquirat beatitudinis.* Epist. 87. ad Oger

3. Investiget num error, aut defectus commissus sit in substantia, an solum in accidente: si in substantia, ut cum quis scientiâ necessaria est destitutus, nec eo est ingenio, ut eam sibi comparare valeat; aut moribus adeò est corruptis, ut alios ad flagitia incitet, nec tamen vel pravæ assuetudinis

violentiâ, vel indomitâ indolis & affectuum pugnâ, confidat se alium à seipso posse evadere; huic pastorale officium est deserendum: quidquid enim à principio, naturâ suâ impedit adire hoc munus, id ipsum etiam facit, ne possit retinere.

4. Cuncta obstacula perrumpat, respectus calcet emolumenta spernat, si indignum & incapacem se reperiât, munusque parochiale resignet. At durum, inquis, est verbum *Resigno*. Sed longè durius est verbum: *I maledicte in ignem aeternum!* Libera, quid tibi agendum, aut non agendum sit, bilance aeternitatis; quâ Christus in extremo iudicio est ufurus, & attende quid præponderet; an cedere Parochi officio; an jure ad cælum? an renunciare; an aeternum perire? Cùm majus cymbulâ velum est; an non præstat, illud quamprimum demittere, quàm incertam perniciem, eo expanso, provehi? *Quidquid agis prudenter agas, & respice finem.* Cogita
mor-

mortem, iudicium, infernum. Morientur agnati, Christi patrimonio aliti; deprimetur familia, à te evecta; abibit in cineres corpus lautè habitum; deferendum quidquid in mundo charum; & sequetur nunquam finienda tormentorum ineffabilium aternitas. Hunc respice finem, nec media respue

5. Quod si verò non in substantia; sed in accidente error commissus foret; faciliùs occurreret remedium: ut si quis dotibus sufficientibus instructus, solo avaritiæ aut ambitionis stimulo impulsus, pastorale officium prensasset, is pœnitentiam agendo, finemque mutando, in officio persistere poterit. Sin autem pecuniis aut auro, Parochi dignitatem, emendo sibi quis comparasset; in aperto is versatur discrimine, & audire meretur illud: *Pecunia tua tecum sit in perditionem*: quod in Simonem Magum pronuntiavit Apostolus. Et sicut ille nunquam legitimo jure possedit ovile, in quod

ingressus est, ut latro, non ut Pastor; ita oportebit illum, si cedere nolit, ad Pœnitentiariam Romanam confugere; ut possessionem hætenus nullam & umbratilem, ratam habeat, pontificiâ authoritate, & pœnarum, legibus pontificiis, in hanc emptio- nem constitutarum, gratiam faciat: nec propterea pœnitentiam agere cesset; sed dum vivit, delictum suum amaris lacrymis defleat.

Claudo hoc caput cum laude eorum Collatorum, qui per concursum Pa- rochias, dignioribus Subjectis, cum maximo subditorum emolumento, excluso omni respectu, favore & aliorum commendatione, conferunt; & cum vituperio illorum; qui easdem, ad Magnatum petitionem, Amicorum instantiam, Ministrorum muneribus corruptorum, commendationem, cum summo ovium sibi commissarum de- trimento, dignioribus postpositis, in- dignioribus & vix aut ne vix quidem dignis committunt, severissimam de
hoc

hoc damno suorum, supremo Judici,
aliquando rationem reddituri.



C A P U T III.

De Scientia & Doctrina Pastoris.

SI Pastor, ut capite primo diximus, in plebe sua, Directoris, Doctoris, Magistri & Illuminatoris, imò & Angeli officium obeat, qui ignorantibus doceat, dubios regat, conscientias intricatas evolvat, variâsque perplexitates ac difficultates enodet; secundum illud Malachiæ c. 3. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & veritatem ex ore ejus requirent: Angelus enim Domini exercituum est.* Abundè liquet, quantâ eum scientiâ & sapientiâ fulgere oporteat, ne & se & suos in graves errores, & salutis æternæ pericula præcipitet.

Quomodo (ait Doctor Mellifluus

in Declam. super Ecce nos) *in*scientia excusari possit in eo, qui se Magistrum infantium, & Doctorem insipientium profitetur? Ignorans utique ignorabitur, imò & multos ignorare faciet & ignorari. Ut proinde Concilium Toletanum IV. c. 24. verè asserat: *In Sacerdotibus ignorantia Mater est cunctorum errorum. Imò & vitiorum & scandalorum, reliquorumque malorum, in Ecclesia Dei, pro dolor! grassantium. Hæc autem ut quilibet Parochus è Parœcia sua eliminet. & averruncet: cor ejus & labia ejus scientiam, ad munus suum debitè exequendum, necessariam custodiant.*

I. Prima est scientia & intelligentia Scripturæ sacræ, quæ reliquarum basis est. *Scrutamini scripturas*, ait Veritas Joan. 5. & Apostolus 2. Tim. 3. 15. *Memor esto, quia ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Jesu.* Unde divina Scriptura à S. Ambrosio rectè Liber sacerdotalis nuncupatur.

cupa-

cupatur; pro cuius intelligentia obtinenda, proderit diligens ejusdem lectio, & Interpretum inspectio, quales sunt Cornelius à Lapide, Thomas le Blanc in psalmos, Barradius in concordiam & historiam Evangelicam, Mendoza in Libros Regum: Fullonius in Libros Machabæorum Scherlogus in Cantica, Tirinus & alii.

2. Altera scientia Parocho necessaria est caremonialis, continens cognitionem Rubricarum, pro Sacrificio Missæ, Horisque canonicis; uti & rituum pro administratione Sacramentorum, nec non caremoniarum & consuetudinum, pro processionibus, concionibus, benedictionibus, sepulturis. Hunc in finem servient Bartholomæi Gavanti Thesaurus sacrorum rituum, Tobia Lohner opuscula, Ritualia & Agenda Diocesana.

3. Suppositâ sufficiente peritiâ linguæ latinæ, & Philosophiæ, locum tertium postulat Scientia Theologica; quam scholasticam vocant, sine qua

nec Theologus moralis, nec Polemicus, nec Ecclesiastes, nec Asceta, fundamentaliter, securè ac perfectè procedere potest. *Hac scientiâ, ut docet S. Augustinus l. 14. de Trin. c. 1. Fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. Gignitur in Infidelibus, nutritur in Fidelibus, defenditur contra Hereticos, & roboratur contra omnes tempestates, & persecutiones. Pro hac usui esse possunt, Summa D Thomæ, Suarez, Vasquez, Lugo, aut potiùs clara eximii cujuscumque Professoris dictata, aliorum compendium exhibentia.*

4. Scientia Theologiæ moralis, seu casuum conscientia, ut vocant, pro confessionibus excipiendis, aliisque Sacramentis rite administrandis, omnino necessaria: sine qua Pastor & se & sibi commissos, velut cæcus cæcos ducet, in horrenda præcipitia. Terribile est quod refert Drexelius in Prodomo Æternitatis c. 3 §. 10. De Fœneratore coram Notario & Testibus

bus hoc Testamentum dictante : *Corpus meum reddatur terra, anima verò mea cedat Demonibus, & anima Vxoris & Filiorum Demonibus, & anima Confessarii mei Demonibus*, qui me non monuit, nec melius direxit ! quod communiter accidere solet, ex scientiâ, & animi cordati ac fortis defectu. Servire pro hoc studio poterunt doctissimi Libri Laymanni, Castropalai, Filliucii, Tamburini, Gobati, Sanchezii, & pro compendio, Medulla Busenbaum.

5. *Scientia Theologiæ Polemicæ, seu controversiarum Fidei, præsertim si Pastor degat inter Heterodoxos, aut in Parochia sua numeret Acatholicos; tum ut hos ad Ecclesiæ gremium reducat, tum ut suos ab hæresi præservet actueatur.* Lumen suggeret Hæresum strator Bellarminus, Becanus, Keddius, Hazartius, aliique Libri polemici.

6. *Scientia Juris Canonici, præsertim si Pastor, majore aliquâ Dignitate*

Ecclesiasticâ fulgeat. Legendi præstantissimi Tomi Cardinalis de Luca, Pyrrhing Fagnanus, Engelius, Valensis, & alii.

7. Scientia Ascetica seu spiritualis, quâ Pastor & seipsum in via sanctitatis dirigat, & proximum sibi commissum, ad perfectionem deducat: existimetque sibi dictum, quod olim Jeremia c. 1. *Constitui te super Gentes & Regna, ut evellas & destruas, lolium vitiorum, zizania peccatorum, scandalorum, abusum, & edifies & plantes germina perfectionis & flores omnium virtutum.* Facem præferent Ascetarum illustriorum volumina: varia S. Augustini, S. Bernardi opuscula ascetica, S. Alberti M. Paradisus, Cardinalis Bona, Jacobi Alvarezii, Ludovici de Ponte, Nicolai Lancicii opuscula, Antonii Gaudierii, Alphonsi Rodericii, Joannis Baptistæ Saint Jure de cognitione & amore Dei, Rosignoli, Suquetii, Pennequini Isagoge ad amorem divinum, Drexelii de
ater-

aternitate, de conformitate, de novissimis, aliisque quàm plurimi.

8. Scientia Historica sacra, tum pro concionibus, tum pro discursu pio & erudito, propriâque eruditione & adificatione serviens: quæ peti potest ex Saliani Annalibus Veteris Testamenti, ex Cardinalis Baronii Annalibus Novi Testamenti, ex Eusebio, Nicephoro, Surio, Bolando, Ribadeneira, Pallavicini Historia Concilii Tridentini, variisque vitis & gestis Sanctorum.

9. Scientia oratoria, seu Rhetorica cœlestis & eloquentia sacra, & ars annuntiandi cum fructu Evangelium: non Verbum Dei adulterando, non juvenili vaniloquentiâ utendo, non ingenii fucos vendendo, non curiosâ & copiosâ rerum farragine (ut hodie dum invalescit) intellectum Auditorum pascendo; non conceptibus subtilioribus populum rudem detinendo, aut potius deludendo: non tamen etiam, ruditer, confusè & inordinatè

dicendo, aut quidquid in buccam venit, temerè deblaterando: sed ordinatè . clarè & nitidè omnia proponendo; Verbi divini pondere, SS. Patrum authoritate, rationum validarum momentis, similibus, causis, effectis, historiis probatissimis, è Scriptura sacra potissimùm desumptis, intellectum convincendo, affectumque auditorum inflammando, exemplo S. Pauli SS. Ambrosii, Augustini, Chrysostomi, Vincentii & aliorum. Dictionis finis est, persuadere, populum à vitiis & peccatis abstrahere, atque ad observantiam mandatorum Dei & Ecclesiæ, omnesque virtutes Christianas impellere. Juvabunt Conciones & Sermones tum Sanctorum prædicatorum, tum Lanuza, Granatensis, Fabri Schereri Engelgravii, Segneri, Mancini, Nagelii, & excellens P. Francisci Arias thesaurus inexhaustus bonorum in Christo, cum pluribus aliis.

Hæ sunt scientiæ Directori animarum,

rum, partim necessaria, partim valde utiles & fructuosa: quarum defectu, quanta damna in Ecclesiam universam redundarint; quot hæresum, scelerum, errorumque monstra prognata fuerint, hodie dum ipsa experitur & lamentatur: Unde enim promanarunt Lutheri, Calvini, Zwinglii, aliorumque Sectariorum errores, nisi ex ignorantia, & illi cognatâ depravatâ vitâ Pastorum? Unde hodie dum oriuntur in plebe tot superstitiones, tot sacrilegia, & omnium ferè scelerum colluvies, nisi ex ignorantia & affine illi tepiditate & negligentia Pastorum? Unde profluit inscitia Dei, quæ est in populo, uti & Christi, Legis, virtutis, & omnigenæ perfectionis, nisi ex ignorantia & concomitante imperfectione Pastorum? Quod ævo suo questus est Isaias c. 56. *Speculatores ejus (scilicet Episcopi & Pastores) cæci omnes, nescierunt universi, canes muti non valentes latrare & amantes somnia: ipsi Pastores ignoraverunt*

runt intelligentiam. At quid ex ignorantia illa in populum derivatum est mali? subjungit Propheta: *Omnes in viam suam declinaverunt* (nempe vitiorum & scelerum) *unusquisque ad avaritiam suam, à summo usque ad infimum.*

Tanta igitur mala, ó Pastor animarum! si serió exterminare desideres; si animam propriam, animasque tibi creditorum, in circuitu tenebrarum, aut in labyrintho errorum, circumducere, aut in perpetuæ damnationis discrimen conjicere nolis; omni industriâ & conatu, in scientiarum adeò necessariarum & utilium studium incumbe. *Sacerdos enim, aut Pastor ignarus, tantis obest, quantis præest. S. Bernardus. Epist. 137.*

De his scientiis, licet quoque egerimus in paranesi Anno 1700. pro strena, Confraternitati Sacerdotum B. V. oblata; visum tamen est, eadem hoc libro, quibusdam additis, repetere; tum quia is in plurimas, Confraternitati non inscriptorum, manus deveniet, tum ne quid animarum Pastori omnino necessarium hinc permitteremus.

CAPUT IV.

*De puritate conscientia Pastoris,
& fuga peccatorum.*

AD puritatem conscientia, & fugam peccatorum mirificè Pastorem promovebit, triplex modus seu gradus humilitatis, quem S. Ignatius in libello Exercitiorum tradit; sine quo munditiam cordis obtinere, omnino est impossibile.

Primus humilitatis modus hic est, ad salutem necessarius, ut me penitus subdam Divina Legi observanda: ut ne quidem mundi totius oblato dominio, vel extremo vite discrimine objecto, transgrediar deliberatè mandatum ullum divinum aut humanum, quod quidem peccati mortalis vinculo me obliget.

Secundus est majoris perfectionis, ut fixo animo, ad divitias, paupertatem, honorem, ignominiam, brevitatem vite

☩

& longitudinem; æquè sim propensus; ubi equalis est divina laudis & mea salutis occasio: & ut nullâ vel humana cujuscunque felicitatis, vel propria mortis conditione propositâ, adducar unquam, ut culpam licet venialem tantùm, decernam admittere.

Tertius est modus humilitatis absolutissimæ, ut priores duos jam adeptus, etiamsi nullo superaddito, laus Dei par foret; ad majorem tamen imitationem Christi, eligam potius cum eo paupere, spreto & illuso, pauperiem, contemptum, & insipientia titulum amplecti, quàm opes, honores & sapientia aestimationem.

Terni hi modi humilitatis, quanto pere Pastori animarum convenient & opitulentur, ut puritatem conscientia obtineat & conseruet, declarare jam nunc aggredimur.

I. Ante omnia Pastor primum hunc humilitatis gradum conscendat necesse est, ut vitam à peccato lethali immunem ducat: cùm enim ex officio

cio oves sibi commissas mundare & purificare debeat à peccatis; nisi ipse ab his sit purus, quo pacto purificabit alios? *Ab immundo quid mundabitur?* Eccli. 34. 4. Dum igitur Neoparochus, Exercitiis spiritualibus ad sacerdotium & curam animarum se pręparat; exhomologefin de tota vita instituat, ut à lethalibus criminibus penitus mundetur; & ex considerationibus de peccatis, eorúmque pœnis, ingentem illorum horrorem concipiat, & hunc primum humilitatis modum valde sibi imprimat. *Malo mori, quàm sedari: malo totum mundum perdere, quàm Deum offendere.* Ad quod sequentes considerationes juvabunt plurimùm.

1. Quàm rationi consentaneum est, ut homo vile mancipium & missella Creatura, Domini & Creatoris sui, Regis Regum æternæ, purissimæ, immaculatæ Legi & sanctissimæ voluntati, à qua velit, nolit, necessariò pendet, voluntariè & liberè se subiciat;

ciat; & suam voluntatem, plumbeam
erroneamque regulam, rectissimæ
Dei regulæ & voluntati submittat?

2. Quàm id est homini utile; cùm
debitum ordinem, Deo se subdendo
servet: *Deum time & mandata ejus
serva, hoc est enim omnis homo*: ait Sa-
piens Eccles. 12. 13. & pace ac quiete
fruatur; nam *quis restitit ei & pacem
habuit?* Job. 9. 4. & humilis subjectio,
Dei amicitiam conciliet & conservet,
divinæ confortem naturæ efficiat,
eumque innumeris bonis repleat.

3. Cogitet, quî Christus se Legi Pa-
tris subjecerit, cùm Adam uxoriis
blanditiis eam postposuisset, ample-
ctendo, tormenta & mortem crucis:
*Vt cognoscat mundus, quia diligo Pa-
trem; & sicut mandatum dedit mihi Pa-
ter, sic facio; surgite eamus.* Joan 14.
31. Eodem modo sancti Martyres
pro Lege Dei certarunt usque ad mor-
tem, quam omnibus mundi malis &
bonis præposuerunt: nam in omni
eorum certamine, hoc unum ageba-
tur,

tur, ut Dei Legi & amicitia quæ offerrebantur, bona, vel mala præponerent. Omnes pariter Sancti, ei omnia posthabuerunt, mundum fugerunt, bona reliquerunt: Benedictus, Bernardus, Franciscus à carne tentati & sollicitati contra Legem Dei, in nivibus, glacie & spinis se volutarunt. Et hic gradus est necessarius ad salutem; *Quid enim prodest homini, si totum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur?* Ac proinde omnibus convenit: quantò igitur magis Pastori animarum, qui alios docere & mundare debet?

4. Ad hanc divinæ Legis observantiam, & horrorem peccati mortalis, sibi ingenerandum: Pastor pervolvat & expendat momenta & rationes omnibus Christianis communes, ut quòd peccatum lethale sit lepra, pestis, mors animæ; inobedientia, contemptus, rebellio contra Deum; imò Christicidium & Deicidium, ut SS. Chrysostrmus, Bernardus & Patres alii

alii loquuntur. Et quòd Deus illud, cum ipse sit summum Bonum, Lux pura & Pulchritudo infinita, non possit non odisse & abominari infinitè, tanquam summum malum, tanquam tenebras, turpitudinem, fœditatem & immunditiam animæ intolerabilem. De quibus videatur opus morale de peccatis, Jacobi Lobbetii, hæc & alia prolixè tranſtantis

5. Denique expendat Argumenta Sacerdoti & Pastori propria & sacros ejus, quibus initiatus est ordines concernentia, quibus peccatum mortale valde repugnat. Consideret itaque ordines, per quos veluti totidem gradus ad sacerdotalem, pastoralémque dignitatem conscendit; ex altera deinde parte, peccatum cum iis componat, & contrarietatem, repugnantiamque, nullo negotio, deprehendet.

Primus gradus ad sacerdotium est *prima Tonsura*, per quam à mundo rebusque mundanis quis secernitur, & cultui divino, Ecclesiæque ministerio de-

deputatur, simulque Clericus, id est, in sortem Domini assumptus efficitur: *Vos non estis de mundo.* Joan. 15. Expendat jam Pastor, quam indecens sit foris in capite coronam, Clerici insigne, gestare, & intus peccati lethalis cauterium, hominis damnati signum, in anima circumferre: à rebus mundanis separatum, mundi sordibus inquinari: Dei & Ecclesie Ministrum, Deum inhonorare, & carni, vitiisque servire: in Dei sortem assumptum, in Diaboli sortem & possessionem transire.

Secundus gradus ad sacerdotium est *Ostiaratus*: in quo per traditionem clavium, potestas Ecclesiam Fidelibus aperiendi, & Infidelibus claudendi conceditur: per cymbali verò traditionem, populum in Ecclesiam convocandi potestas traditur. Quam verò inconueniens est, aliis templi januam aperire, sibi verò per peccatum, cœli portam claudere? Infidelibus templum Dei obstruere; sibi Inferni ostium referare? populum ad

Ec-

Ecclesiam & conventum Justorum convocare; se verò à cœtu amicorum Dei excludere; Ecclesiæ malignantium se adjungere, mortuisque Ecclesiæ membris annumerare?

Tertius gradus est *Lectoratus*; in quo per traditionem Libri lectionum, confertur potestas, Verbum Dei, cæterasque lectiones sacras prælegendi, & populum lectione docendi. Hinc dum legit, loco altiore constituitur, ut ab omnibus videatur & audiatur. Quàm verò incongruum est, legere & non observare; docere & non facere: in alto stare, & in abyssum malitiæ & pœnæ se deturbare; Diabolo subster-ni; Auditoribusque vitæ flagitiosæ formam exhibere?

Quartus gradus est *Exorcistatus*; in quo per traditionem Libri Exorcismorum, potestas tribuitur, Dæmones ex corporibus obsessis expellendi. Quàm verò fœdum est; Diabolum ex alieno corpore ejicere & eundem in animam propriam intromittere?

Quàm

Quàm inglorium est, quem Victor fugas, eidem per peccatum, victum succumbere; ejusque jugum tyrannicum sustinere?

Quintus gradus est *Acolythatus*; in quo potestas datur lumina in Ecclesia accendendi & deferendi; uti & aquam, vinumque in Eucharistiam ministrandi. Quàm autem turpe est, manibus lumina præferre, & iisdem opera tenebrarum perpetrare? alios illuminare, seipsum excæcare, & tenebris peccatorum involvere? Aquam & vinum in hostiam Eucharisticam ministrare; & sese Dæmoni in victimam abominabilem offerre?

Sextus gradus est *Sub-Diaconatus*; in quo potestas tribuitur, sacro præparando subserviendi; calicem & patenam mundandi; Epistolam in missa solennicantandi. Quàm verò indignum est, Dei Ministrum, evadere servum peccati? calicem mundare; & animam scelerum foeditate conspurcare? In missa Epistolam cantando

D

po-

populum docere; & seipsum in ignorantia malitiâque relinquere?

Septimus gradus est *Diaconatus*; in quo confertur potestas, Evangelium in Missa solenni cantandi; illud ex pulpito, populo exponendi; cum his Episcopi verbis: *Accipe Spiritum Sanctum, ad robur & ad resistendum Diabolo, & tentationibus ejus.* Quàm verò indecens est; aliis, non sibi prædicare? ore Evangelium exponere; opere Evangelium oppugnare? alios à peccatis abstergere; seipsum ad ea patranda animare? Spiritum Sanctum accipere, ad Ecclesiæ ministerium; eundemque ex anima probrosè expellere, in Dei contemptum? Robur ad resistendum Diabolo obtinere; & ejusdem tentationibus ignominiosè succumbere?

Octavus gradus est *Presbyteratus*, seu sacerdotium; in quo gemina confertur potestas, scilicet SS. missæ Sacrificium offerendi, & fideles à peccatis absolvendi. Jam verò Sacerdos

Al-

Altissimi consideret, quàm abominabile sit, ad aram stare in medio Angelorum; & Filium Dei, Sanctum Sanctorum, Patri cœlesti offerre Sacerdotem illum, qui est impurum Diaboli, Venerisque mancipium? O quis explicet! quid sit Agnum Dei immaculatum, offerri à fœdo, ac truci lupo? Vinum germinans Virgines libari ab ebrioso Bacchi sacrificulo? Peccatum lethale contra Deum patrandò, ejus jugulum quodammodo manibus paricidias petere? & non diu pòst, unigenitum Filium ejus, quasi cruentis adhuc manibus, in sceleris placationem offerre? Item quàm detestabile sit, alios à peccatorum vinculis, Diabolique nexibus absolvere; seipsum verò iisdem irretire & innodare: alios è servitute Cacodæmonis, in libertatem Filiorum Dei asserere; seipsum verò ex Filio Dei, Diaboli mancipium constituere: alios peccata remittendo, in Librum vitæ referre; seipsum

verò Libro Mortis & damnationis
perpetuæ inscribere.

Horresco tam atrociam referens de
Sacerdote ac Parocho, veniamque
flagito, quòd viris eximia probitatis
& perfectionis, talia proponam: quæ
illos non concernunt; sed utinam ne-
mo unus reperiretur, qui hac doctrinâ
indigeret! utinam paucissimi forent,
qui in hoc miseriarum chaos prolabe-
rentur! Verùm si qui sunt, aut qui-
cunque ejusmodi sunt, eos per Deum,
oro atque obtestor, ut antedicta seriò
& non obiter perpendant ac penetra-
re, studeant: quod si fecerint, spon-
deo fore, ut nunquam in horrendum
adeò & abominabile malitiæ & ne-
quitia barathrum devolvantur. Con-
siderent sapius statûs sui dignitatem,
peccati lethalis atrocitatem, pœna-
rum infernalium æternitatem: atque
à tanto malo, per Dei gratiam, im-
munes ac securi degent: *Memorare
novissimam, & in æternum non pecca-
bis. Eccli. 7. 40.*

II. Obtento primo gradu humilitatis ac debellato, & proscripto, in perpetuum, peccato mortali: Pastori ad secundum humilitatis gradum, omni diligentiam connitendum est; ut nimirum ita se subdat Divinae Legi, ut malit mori, quam venialiter peccare deliberatè. Consideret igitur, ut hoc obtineat, quam sit rationi consentaneum, ut ne in minima quidem re, Homo, Dei & Creatoris sui, tanquam Filius, amantissimi Patris, voluntatem violet; quæ pluris facienda est, quam omnes creaturæ simul; quam propria vita, fama, honor, dignitas. Consideret quoque quæ emergant detrimenta, si id non faciat: Committens enim plura peccata venialia deliberatè, non gaudet conscientia pace & tranquillitate: cum semper vulpeculas & latrunculos Domi foveat: non fruitur amicitiam Dei adeò securè & pacatè: venialia enim ad mortalia disponunt, veluti morbi ad mortem: destituitur particularis Providentiæ

D ;

Dei

Dei fructibus; caret illis consolationibus, illo lumine spirituali, illo robore & fortitudine spiritûs, saepe necessario, ad resistendum tentationibus; quibus plerumque faciliùs cedit & alios malè ædificat.

Qui ad hunc gradum pervenit, ad bona & mala indifferens est: quia affectus ejus est purus, nec ullis creatis adhæret; unde ubi æqualis Dei gloria est, æqualiter affectus est, & licet de propria vita agatur, non sinit se induci ad peccatum veniale deliberatè committendum. Discute, mi Pastor, num gradum hunc attigeris; num cor tuum bono alicui creato ita adhuc adhæreat, ut propter illud, veniale peccatum deliberatè perpetrare non verearis; & num quandoque adhuc gloriâ inani, complacentiâ vanâ, verbo mendaci, adulatorio, aut leviculo Deum offendas. Hoc si repereris, animos assume, ut elucteris altiùs, atque in hunc gradum secundum te efferas.

III. Consenso gradu secundo, &
non

non antè, ad tertium humilitatis gradum, ascendere Pastor poterit, qui altissima perfectionis est, & in eo situs, ut ubi par Dei gloria fuerit, Jesum sequatur, & ei in vita se conformet, ejusque paupertatem, contemptum, & crucem amplectatur. Quodsi tamen contingat, ut par Dei gloria utrimque, imò major videatur, ut commoda aliqua & honorem Pastor admittat, vel obedientiâ exigente, vel charitate; semper memor Crucis Christi, inter ipsos honores & commoda retineat affectum sincerum imitationis Christi; & quantum ex parte sua est, bona hæc omnia rejiciat, cum protestatione, quòd ea acceptare non velle, nisi esset evidenter major Dei gloria. Sic poterit moderatè uti iis bonis, nec ab illis lædi, & illâ modestiâ, animique moderatione, proximo esse ædificationi. Hic est Spiritus Apostolicus, nosse abundare & penuriam pati, ac per bonam famam & infamiam, unius Dei gloriam procurare.

O Pastor bone ! ô Pastorum Princeps ! idea & prototypon puritatis, humilitatis & omnis perfectionis ! illustra intellectûs nostri caliginem, ut dictos humilitatis & observantiæ divinæ Legis tuæ, gradus, clarè cognoscamus; excita affectus, & voluntatis nostræ teporem excute, ut amemus; eleva & corrobora spiritûs nostri debilitatem. ut ad hunc apicem perfectionis conscendamus; atque ita sublimem sacerdotalem, pastoralémque conscientia puritatem nanciscamur.



C A P U T V.

De intentione Pastoris.

Simplex, recta, puraque intentio, requiritur. I. In electione & susceptione statûs pastoralis: cura enim animarum, onus adè grande, difficile, & periculis obnoxium est; ut non aliâ,

aliâ, quàm purissimâ divinæ gloriæ & salutis animarum intentione, suscipi debeat. 2. Requiritur in omnibus quoque exercitiis & functionibus parochialibus; ne ea administrans fructum vitæ æternæ amittat. Est autem intentio triplex: prima procedit ex metu pœnæ, & hæc est servorum; altera ex spe præmii. & est mercenariorum; tertia ex amore Dei, ut Deum laudes, glorifices, eique placeas, & est Filiorum. Ad postremam hanc intentionem constanter tenendam, sequentia motiva conducere poterunt.

Motivum I. Intentio pura, opera quælibet, etiam adiaphora, non tamen ex se mala, illustrat, mundat, elevat, nobilitat, Deoque grata, & accepta reddit. Docet hoc Salvator noster Matth. 6. *Si oculus tuus simplex fuerit; totum corpus tuum lucidum erit; si autem oculus tuus nequam fuerit; totum corpus tuum tenebrosum erit.* Quæ verba S. Augustinus L. de serm. Domini in monte, explanans, ait: *Ocu-*

lus noster, intentio nostra est; quæ si recta fuerit & simplex opera nostra munda facit, Deoque placentia: si verò appetitum rerum temporalium, inquinatur; ipsum quoque opus, eâ intentione susceptum, sordescit. Itaque statum pastorem agredi vel honoris, vel lucri, vel rei alterius terrenæ intuitu, oculus nequam est totum corpus tenebris involvens, vitamque universam obscurans: Deinde pro concione dicere, Sacramenta administrare; agros, sanosque invisere, & alia opera parochialia exercere, spe mercedis pecuniariæ tantum, vel spe laudis, plausûs, aut vanæ gloriæ, alteriusve commodi & emolumentum temporalis oculus nequam est; quo omnia hujusmodi exercitia inficiuntur, inquinantur & sordescunt.

Motivum II. Deus scrutator est cordium & renum; omniumque nostrarum intentionum, quas cernit, penetrat, dijudicat, præmiat, aut punit; magisque intentionem, quam operationem ipsam attendit. Disertè id
testa-

testatur D. Augustinus in soliloquiis suis c. 14. Tu, inquit. Judex non solum intentionem; sed radicis ejus medullam intimam, disertissima lucis tue veritate, colligis, intrueris & consideras; ut reddas unicuique, non solummodo secundum opera vel intentionem; sed etiam secundum ipsam interiorem absconditam medullam radicis, de qua procedit intentio operantis. Ad quod tendo, cum operor; quidquid cogito; & in quocunque delector, tu vides, signas, attendis, notas & scribis in Libro tuo; sive bonum fuerit, sive malum; ut reddas postea pro bono premia, pro malo supplicia. Et quidem in omnibus qua agimus, finem intentionis magis, quam actum operationis intendis: cumque hoc diligenter considero Domine, Deus terribilis & fortis, timore pariter & ingenti rubore confundor; quoniam nobis magna est indita necessitas, justè, rectèque vivendi (purèque intentione omnia peragendi) qui cuncta facimus ante oculos Judicis, cuncta cernentis.

Motivum III. Quare Pastor, in

D 6

omni-

omnibus operibus suis, purè Deum, Deique gloriam spectet. Hic est spiritus Dei: qui extra se nihil intendere nihil querere, nihil desiderare potest, nisi gloriam suam & bonitatis suæ manifestationem: cur enim Deus cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt, creavit nisi ad majorem gloriam suam; id est, nisi ut infinitam potentiam, sapientiam, & bonitatem suam manifestaret? *Gloriâ Domini plena est terra. Et cæli enarrant gloriam Dei* Psal. 118. Hoc spiritu si Pastor opera sua peregerit Filius Dei dilectus erit.

Motivum IV. Hic quoque est spiritus Christi Filii Dei: qui ait: *Ego non quero gloriam meam, sed ejus, qui misit me Patris.* Joan 8. 50. Hac de causa tantopere exinanivit se; tamque profundè sese depressit ac humiliavit; ut Patrem cœlestem exaltaret: hac de causa, tanta toleravit & fecit; ut quantum esset gloriæ divinæ pretium, atque æstimatio, hominibus, amore proprio excœcatis, demon-

stra-

straret. Hinc quoque, ipso nato, concinunt Angeli: *Gloria in excelsis Deo* Lucæ c. 2. Pastorem Bonum, imitetur Parochus; & erit fidelis Christi minister & famulus.

Motivum V. Hic etiam spiritus, hic scopus & finis fuit, magnorum Dei servorum, & virorum eximiâ sanctitate illustrium. Doctorem Gentium, quid ad tanta facienda, & patienda permovebat, nisi unica Dei gloria & Christi charitas? *Charitas Christi urget nos*; inquit 2. Corinth. 14. Quid Doctorem Angelicum ad studia, conciones, Librorum conscriptiones, aliósq; labores exantlandos impellebat; nisi unica Dei gloria? ideóque à morte, cum stella lucidissima in pectore, apparuit. Quid S. Ignatium ad magna, pro gloria Dei patranda, diu noctúque stimulabat; nisi sola major Dei gloria? hanc semper in corde, semper in ore, semper in opere gerebat & in omnibus spirabat; ac velut aquila provocans pullos

suos, ad hunc solem, Filios suos, indefinenter respicere cupiebat.

Præluxit quoque exemplo A. R. D. Jacobus Merlohorstius, piissimus nostra ætate Pastor Colonia; qui tres sibi fines manè & ante opera diversa inchoanda, præfigebat; nempe majorem Dei gloriam, salutem propriam, & proximorum; quamvis duas posteriores, ad primam, tanquam finem ultimum referret; juxta illud Apostoli. 1. Corinth. 10. *Sive manducatis, sive bibitis; sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quibus etiam verbis, se extimulabat.

Pari ratione Venerabilis D. Petrus Forerius Canonicus Regularis S. Augustini & Parochus Matincuriensis, nihil magis in omnibus operibus suis optabat; quàm ut semper faciendo, quæ Deo placent, eidem acceptus foret. Illustrissimus Alanus de Solminihac Episcopus, nihil agebat, in quo beneplacitum Dei præ oculis non haberet: ratione proprii commodi nihil

hilaggrediebatur; quin ne Infernum quidem aut paradysum volvebat animo: sed frequentissimè in ore habebat illa Apostoli verba 2. Corinth. 5. *Charistas Christi urget nos: ut qui vivunt, jam non sibi vivant.*

Horum, aliorumque Filiorum Dei exemplo, ô Pastor animarum! sinceram intentionem tibi præfige Si quæris, qualisea esse debeat, & quàm sublimis? Responsum cape 1. Intentio tua sit *rectissima*, per charitatem & prudentiam, ad dictum scopum directa, qui omnibus hominibus à Deo constitutus est; ad quem proinde omnia media ordinare te oportet. 2. Sit *universalissima*, tam ad statum, quàm ad omnes actiones se extendens: *Omnia in gloriam Dei facite.* 1. Corinth. 10. 3. Sit *purissima*; id est nullo alio vanæ gloriæ, aut proprii commodi, aut lucri, quod divinum non sit, motivo permixta & inquinata 4. Sit *summa* appetitivè, ut minimam Dei gloriam, gustum, beneplacitum, plaris facias;

facias; quàm quidvis aliud creatum: est enim quodammodo infinitum: quia est bonum Dei, bonum totius, quod bono partis longè est præferendum. §. Sit *excellentissima* & *perfectissima*, & quàm maxima; ut non tantùm gloriam Dei; sed majorem etiam, imò maximam ejus gloriam quæras.

Si rursus scire aves, Neoparoche, quanam sit major Dei gloria: & quandonam ea in operibus tuis resplendeat? Responsum in promptu est: major Dei gloria est, opus aliquod peragere, quod pluribus proficuum est, quàm quod paucoribus: major Dei gloria est, si bonorum operum tuorum fructus diuturnior sit, quàm si sit brevior; major, quàm minor: major Dei gloria est, si studueris scientiis, statui tuo pastorali convenientibus; quàm aliis, licet bonis; sed à statu tuo alienis: major Dei gloria est, cæteris paribus, orare aut horarium pensum persolvere, flexis genibus; quàm

quàm sedendo , vel ambulando ; ob
majorem attentionem , & reveren-
tiam : Sacrum celebrare tardè & de-
center ; quàm nimis properè & festi-
nanter : major denique Dei gloria est,
opera quotidiana peragere perfe-
ctiùs, quàm imperfectiùs ; ordinatiùs,
quàm inordinatiùs ; ferventiùs, quàm
tepidiùs. Hanc ergo majorem Dei
gloriam , majorem Dei consolatio-
nem, delectationem, gustum, benepla-
citurum, & ut scriptura loquitur, *odorem*
suavitatis, semper quære ; & majus in
terris meritum , majorem in cœlis co-
ronam, mercedem, præmium, etiam si
non quaeris, invenies.

P R A X I S

Pura intentionis.

VOlo missam celebrare (baptiza-
re, concionari , catechizare, æ-
gros invisere, studere, aut opus aliud
peragere) ô sacrosancta Trinitas ! 1.
Ex

Ex puro amore amicitia & benevolentia, in te Deum verum & vivum; ad majorem gloriam, gustum & beneplacitum, tuae Divinae Majestatis; in unione intentionis & meritorum Domini nostri Jesu Christi, Beatissimae Virginis Mariae, & omnium Sanctorum. 2. In gratiarum actionem pro omnibus beneficiis. 3. In satisfactionem pro omnibus peccatis. 4. Ad impletionem perfectissimam tuae divinae voluntatis. 5. Ad honorem Christi Domini parientis. 6. Pro toto Ordine ecclesiastico, religioso, & saeculari. 7. Pro conversione Infidelium, Haereticorum & Peccatorum. 8. Pro liberatione animarum Purgatorii; pro salute animarum cura mea commissarum; & quibus obstrictus sum.

Hac intentio manè facta, per diem saepius breviter renovari potest, dicendo: Hoc opus perago ad intentionem manè factam.



CAPUT VI.

De oratione Pastoris.

Parochus est vivum Instrumentum Dei, qui tanquam causa principalis eo utitur ad salutem animarum: ut autem Instrumentum agat, elevari & cum causa principali conjungi debet: hæc autem elevatio & conjunctio fit per orationem & familiaritatem cum Deo; ex qua virtus & efficacia in omnia ejus opera derivatur; ut cum fructu majore peragantur. *Oratio justis, clavis est cœli, ascendit oratio, & descendit Dei misratio.* Ad hanc igitur Pastor in omni opere, in omni difficultate in omni periculo, & necessitate recurrat: ad hanc velut ad arcam, ad Tabernaculum, ad Sanctum Sanctorum, cum Moysse confugiat: & in omnibus perplexitatibus ac dubiis os Domini consulat: atque ut id promptius

ptius faciat, orationis necessitatem, utilitatem & jucunditatem perpendat.

I. Oratio Pastori animarum summè necessaria est. Quantis enim necessitatibus & miseriis tum propria ipsius anima, tum animæ sibi commissorum subjacent? quot hostibus sunt cinctæ, & undique velut obsessæ, à quibus se tueri nequeunt, nisi auxilium cœlitus impetretur: quot gratiis & favoribus indigent; quæ à Deo postulanda: *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum*, ait S. Jacobus. *Nullum credimus, nisi orantem, auxilium promereri*, inquit S. Augustinus de Eccles. dogm. *Horrendum est diem sine oratione transigere*, asserit Tertullianus. Unde meritò inter præcipuas muneris pastoralis partes, Synodus Tridentina orationem numerat.

II. Oratio maximè Parocho utilis est: cum enim Pastor plantare solùm
&

& rigare valeat, Deus autem incrementum dare debeat, patet, illud assiduis, ferventibusque precibus à Deo exorandum esse. Oratio canalis est, per quem Deus dona sua in animas effundit, *dives in omnes qui invocant illum.* Aurea catena est, quâ munera cœlestia attrahimus. Hinc Imperatorum Codex Sacerdotem tanquam Legatum publicum, ad Deum missum considerans, ait: *Ob id ordinari Sacerdotes, ut suis precibus benignitatem humanissimi Dei, rebus acquirant communibus.* l. omnes. c. de Epist. & Clericis.

III. Oratio jucunda est, magnūque animarum Curatori præfidium, solatium & levamen, in tot laboribus & molestiis præbet *Os meum aperui & attraxi spiritum,* ait Vates Regius psal. 118. Ideoque Christus Dominus humanissime cunctos invitat: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matth. 11. Quid dulcius, quàm loqui cum Dilecto? si igitur Deum amaveris, omne

CUM

cum eo colloquium, omnis oratio amena & grata erit. Ut nihil hinc dicam de consolatione intimâ devotionis teneritudine, suavissimâque gustu, quo Deus amicos suos non raro pascit, recreat, & demulcet.

At quando & quoties Pastori orandû? Christus ait: *Oportet semper orare & nunquam deficere.* Lucæ, 18. 1. *Semper*, id est sedulò perseveranter, diligenter, assiduè, quantum per alia negotia licet: *semper*, id est congruis & opportunis temporibus; & *nunquam deficere*, in græco est, *μη̄ ἐκκτανῆν*, & non defatigari. cùm enim tot sint hujus vitæ ærumnæ & afflictiones, ut tota hominis vita videatur esse tentatio, & militia; & contra ea efficacissimum remedium sit oratio, assiduè orare oportet; ut & Apostolus monet ad Ephes. 6. *Orantes omni tempore.* & 1. Thessal. 5. 17. *sine intermissione orate.* præsertim verò orandum ante præcipua opera, ut gratia à Deo & efficacia obtineatur, exemplo SS. Apostolorum, qui dice-

dicebant Actorum 6. *Nos orationi & ministerio verbi instātes erimus.* Ubi notandum, quòd prius orationis, quam prædicationis meminerint; oratio enim sicut prædicationem, ita & alias functiones pastorales præcurrat, necesse est. Quapropter

1. Pastor antequam suggestum conscendat, populum exhortaturus; imò antequam se parare incipiat ad dicendum, per orationem ferventem, gratiam & lumen à Patre luminum petat, ut populum Verbo divino pascere, à vitiis deterrere, ad studium virtutum Christianarum inflammare valeat. Absque ope & gratia Dei nihil nisi æs sonans, & cymbalum tinnens erit; poteritque vocem ad Auditorum aures mittere; non cordi infigere, ut ibidem operetur, motum excitet, & fructum afferat.

2. Priusquam tribunal sacrum intret, exhomologesque excipiat, divinam gratiam imploret, ut absque latione propriæ conscientie, munere suo

suo rite perfungi, rectè judicare, remedia præscribere, & animas peccatorum fordibus conspurcatis, in sanguine Agni dealbare valeat.

3. Si insignem quempiam peccatorem ad frugem reducere. Quod teste D. Chrysofomo, majus est, quàm mortuum suscitare; si Hæreticum ad fidem orthodoxam convertere; si dissidentes reconciliare moribundos ad iter æternitatis disponere desideret, semper preces ardentis præmittat, Angelos eorum Tutelares invocet. B. Virginis & SS. Patronorum subsidium & intercessionem flagitet: nam absque oratione & auxilio divino, actum ager, æthiopemque lavabit: cum oratione successum felicem obtinebit: *Nunc*, ait S. Bernardus Epist. 201. *Manent tria, verbum, exemplum, oratio; major autem horum oratio; ea namque operi, & voci, gratiam & efficaciam promeretur.* Quod & Ecclesiasticus confirmat c. 35. *Oratio humiliantis penetrat nubes, & non discedet, donec Altissimus aspiciat.* Oret

Oret ergo Pastor, quærat, pulset ad misericordiæ divinæ ostium: sed *oret*, cum fide vivida, *quærat* cum firma spe & fiducia: *pulset* cum ardenti charitate & perseverantia: & certò impetrabit petita, juxta promissionem Veritatis æternæ: *Petite & accipietis: quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis.* Luca II. & *omnis* (nemine excluso) *qui petit, accipit.* Si dicto modo petat. Oret igitur Parochus & clamet ad Dominum, non solùm ante opera sua, verùm etiam in cunctis suis, suorumque necessitatibus, & exaudietur: *Clama ad me, & ego exaudiam:* Jerem. 33. 3. Instar Moysis manus & brachia ad Deum elevet, & non demittat, quamdiu populus cum hostibus confligit, donec victoriam obtineat, & salutis æternæ pericula evadat. Dicat cum Samuele 1. Reg. 12. 23. *Absit à me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis.* Ad eundem finem, crebrò pro ovibus suis sacrosanctum missæ Sacrificium offerat,

E

quod

quod ad qualibet dona à Numine supremo impetranda, pœnâsque averendas, efficacissimum est: & si non indies, saltem festis solennioribus, pro grege sibi commisso, illud Deo præsentet, ut ejus incolamitatem sibi cordi esse demonstret.



C A P U T VII.

De meditatione Pastoris.

Vix reperietur Parochus, tantâ negotiorum mole obrutus, qui indies, modò velit, non horulam unam, aut dimidiam, meditationi, & orationi mentali tribuere valeat. Uti que non erit occupatior Pontifice Eugenio totam Ecclesiam, Ferdinando Cesare totum Imperium, S. Carolo Borromeo Archiepiscopatum Mediolanensem moderante, & tamen hi, aliique viri licet occupatissimi, indies

dies constanter tempus certum meditationi & considerationi rerum cœlestium tribuerunt. Quorum vestigia ut Pastor legat, meditationis necessitatem, utilitatem & praxin dilucidabimus: quandoquidem nihil meditatione vitæ Christi, ac rerum divinarum, esse utilius; nihil tam ad vitia propria & aliena evellenda; quàm ad virtutes cordi suo, alieno que inserendas, efficacius reperiri, Scriptura Sacra, SS Patrum Authoritas, & experientia quotidiana comprobant.

Unde enim oritur multorum Pastorum insignis pietas, vigilantia, charitas, zelus, indefessusque animas lucrandi, & ad salutem perducendi ardor? unde flagrans adeò in conversatione, monitione, correptione, conversione, concione ignis & ignitum eloquium? Non aliunde, nisi ex meditatione. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Psal. 33. In meditatione oritur rerum cœlestium cognitio, ex cogni-

tione nascitur affectus ardor: *Ex claro intellectu, sequitur non tardus affectus* ait S. Thomas 2. 2. q. 180. a. 3. quem admodum ex luce calor oritur.

Unde econtra nascitur in corde Parochorum quorundam desidia, torpor, tepiditas, acedia, vita otiosa & vitiosa; rerum divinarum & animarum sibi commissarum neglectus; altarium Squalor, templi sordities, parochia dissolutio, scelerum variorum inundatio, & propè dixerim, desolatio abominationis? sanè non alia ex radice, nisi ex meditationis & considerationis defectu. *Desolatione desolata est terra, quia non est qui recogitet corde.* Jerem. c. 12. Nemo illorum caelestia recogitat, aeterna ruminat, divina trutinat; multò minùs cum suavitate, palatìque interioris sapore ea degustat: ideòque nobilissimos, dulcissimòsque meditationis effectus & fructus non experitur: quos Doctor Mellifluus L. 1. de Consider. recenset: *Primum quidem, ait, ipsum fontem*

tem

rem suam, id est mentem, de qua oritur, purificat consideratio; deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat, & ordinat: postremo divinarum pariter & humanarum rerum scientiam confert.

Ne igitur tam excellenti perfectionis medio Pastor privetur; ad meditationem indies statuto tempore (scilicet matutino, quod aptius est) instituendam sese resolvat. Librum Meditationum sibi comparet. Ludovicus de Ponte censetur optimus, sed nonnemini fortasse prolixior; Meyerus, Brunus, Avancinus, Segnerius succinctior; ex quibus meditationis materiam, in singulos anni totius dies digestam desumere poterit. Quamvis illis qui nonnullam meditandi peritiam affecuti sunt, in defectu horum Librorum, vel psalmi, vel Evangelium, vel lectiones Breviarii, vel Thomæ Kempensis sententiæ, materiam meditationis suppeditare valeant.

P R A X I S

*Meditandi, breviter & clarè
proposita.*

EX hujusmodi Libro, Pastor puncta meditationis depromat, vespere ea prælegat, & quodammodo memoriæ mandet, circumstantiam unde filium meditationis, intellectus auspiciabitur, & affectum, quem voluntas elicere poterit, prævideat, mane sequenti puncta relegat; & meditationem hac methodo incipiat. 1. Uno vel altero passu à loco meditationis, seu altari domestico distans, stans, per actum fidei in præsentia Dei se statuat. 2. Flectat genua & gratiam cum fructu meditandi à Deo petat. 3. Locum, in quo mysterium meditandum, contigit, sibi breviter imaginetur. 4. Tria puncta breviter sibi in memoriâ revocet. 5. Iterum gratiam affectus congruos excitandi

tandi flagitet. His præmissis velut præludiis

1. *Memoria* primum punctum exhibeat & clarè personas, verba, gesta, & circumstantias proponat. Subjungatur actus fidei, quo quis præsens fidei nostræ mysterium credat. 2. *Intellectus* circa ea, quæ memoria suggestit, discurrat, rationes, motiva, causas, effectus, commoda vel incommoda, lucra vel damna expendat, unum ex alio inferat, ut intellectum suum convincat: quemadmodum O-rator in concione alienum intellectum variis argumentis convincere nititur. 3. Intellectu convicto & persuaso, *Voluntas* varios affectus materiæ & personæ meditati congruos excitet: ut sunt fidei, spei, timoris, amoris, admirationis, gratitudinis, gaudii, contritionis, compassionis, imitationis: qui decem præcipui affectus sunt; & nunc hi nunc illi, in meditatione elici queunt. *Memoriæ* causa his metris continentur.

Crede Deo, spera, time, ama, mira-
tor; & esto

Gratus, gaudeto, geme, luge, imita-
tor honestum.

Puncto uno absoluto, ad alterum & tertium proceditur; & memoria intellectus & voluntas, ut ante dictum, officio suo fungitur. Denique Meditans, proposita efformat, potissimum pro die presenti, & per Colloquia ad Deum, ad Christum, ad B. Virginem, ad Sanctos Patronos, opem postulat; ac meditationem oratione Dominicâ, oratione anima Christi, & salutatione angelicâ terminat.

Ulteriore instructionem, si quis desideret, prolixiore meditandi praxia ex variis Libris petere poterit; vel potius ab aliquo Instructore gnaro practicè discet, præsertim si spiritualibus exercitiis aliquando vacare libuerit. Neque sibi persuadeat Parochus, meditationem, non ad Ecclesiasticos sed ad solos Religiosos spectare, nam Concilium Mediolanense

nense

nense p. 1. Tit. de exam. ratione ; exigit , ut Examinatores Ecclesiasticorum inquirant : *An ordinandus in orationis sancta studio, usque sit versatus ? Quibus meditationibus instructus tacitus Deum oret ? Quis orationis modus ? Quis fructus ?* Maximus sanè is erit, si debite meditatio instituat, ut S. Bernardi testimonio comprobavimus : maximùm è contra detrimentum ; ut è Propheta ostendimus ; & ex eodem Doctore Mellifluo constat L. 2. de Confid. *Defectus, inquit, meditationis, hominem in cor durum & insensibile ducit, ut & in maledictas occupationes. Et, tam pio , tamque utili considerationis otio, nullam in vita dare operam, nonne vitam perdere est ? Et, Meditatio punctum est, unde pender eternitas. felix, aut infelix, tam Parochi, quam Parochianorum : quorum vita & perfectio, Pastoris vitam & perfectionem ordinariè sequitur & imitatur. Meditare igitur Christi Domini vitam ; virtutes, doctrinam & opera, miracula*

attributa divina, præmia, supplicia, novissima. Hac & alia, expende, rumina, & memorare; & non solum non in gravia peccata labêris, sed etiam ad magnam perfectionem elutaberis.

C A P U T VIII.

De bono Exemplo Pastoris.

Quemadmodum Christus Dominus Pastor Bonus ovibus suis exemplo bono præluxit: ut ipse testatur: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis* Joau. 13. Ita quoque Parochus sibi commissis præeat, necesse est. Veluti Tito, & in eo cui libet Pastori animarum præscribit Apostolus: *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum.* Ad Tit 2. 7. Ut scilicet pascas exemplo, quos pascis verbo, quo nihil est efficacius. Quare

I. Ut Pastor expeditius suis exemplo

emplo bono præeat, Exemplum præstantissimum Christi Domini, tanquam luculentum prototypum, sibi imitandum, identidem ob oculos ponat. Ut S. Bonaventura hortatur in form. Novit. p. 1. c. 32. *Describe inquit, in corde tuo, mores & actus Christi, quàm humiliter se habuit inter homines; quàm benignus inter Discipulos; quàm modestus in edendo & bibendo; quàm misericors erga pauperes; quomodo nullum spreuit vel horruit, etiamsi esset leprosus; quomodo divitibus non adularatur; quàm liber fuerit à curis mundi; nec anxius pro corporis necessitatibus; quàm verecundus in visu; quàm patiens ad contumelias; quàm mitis in responsis; non enim studuit se vindicare verbo mordaci & amaro; sed blando & humili alterius malitiam sanare. Quomodo mulierum familiaria colloquia vitavit, causâ exempli; unde etiam Discipuli mirabantur, quando solus cum Samaritana loquebatur, eò quòd quasi in solitum videbatur in ipso.*

Hac sit sapientia tua, hac meditatio tua & studium, semper aliquid de ipso cogitare: unde & provoceris ad imitandum eum, & afficiaris ad eum amandum.

Juxta hoc prototypon Pastor suis ovidibus det exemplum bonum, & simul declinet scandalum omne & exemplum malum

Ad dandum exemplum bonum ratio efficax & movens est gravissima obligatio; quia Pastor tenetur lege naturali & divinâ, sub pœna damnationis æternæ, conari oves sibi creditas ad salutis terminum ducere, præeundo in illa semita, quam tenere debent, ut ad cœlum pertingant. *Cum proprias oves emiseric, Pastor bonus) ante eas vadit. Joan. 10. 4.* Quare magnus error Pastoris foret existimare se satisfacere officio suo, si exemplo non præeat malo. Sanè plus Princeps Pastorum Christus à Pastoribus sibi subordinatis exigit, quàm à Latronibus, qui beneficos se putant, si non

non farentur & macient. Maledixit
 Christus Dominus ficulneæ, in qua
 fructum bonum non reperit, licet
 malum non invenerit. Damnavit
 servum, qui abscondit pecuniam Do-
 mini sui. Non igitur satis est, Pasto-
 rem non esse impium; sed debet esse
 suis exemplum & norma virtutum.
Declina a malo, & fac bonum. psal.
 36. 27.

Longè gravior, perniciosiorque
 error illius Pastoris foret, qui arbitra-
 retur, non obesse, si peccaret; modò
 id fieret quàm occultissimè: *cantè, si*
non castè. Verùm omnium oculis se
 subducere, quàm difficile? Ignis ab-
 scondi potest; sed non fumus; fumus
 autem subinde ipsum ignem prodit.
 Quis est, qui semper in undis vivere
 possit, si non piscis, sed homo sit; per
 intervalla prodeat necesse est. Sed
 demus diu latere posse lupum, sub
 larva Pastoris, quam tandem vim, ad
 sui in bono imitationem pertrahendi,
 larvata virtus habere poterit? Quo-

modo Deus utetur ad gratiam mortalibus conferendam hypocritâ ? *Simulata equitas, duplex iniquitas est.* Hoc ergo non est facere Pastoris officium, sed duplicare impietatem : a deo que accipiet damnationem majorem. Debet itaque Pastor aut oves suas exemplo & virtute præcedere, aut ponere titulum Rectoris animarum *Tantum debet actionem populi transcendere actio Præsulis, quantum distare solet à Grege, vita Pastoris.* S. Gregorius L. 2. c. 1. *Dedecus enim est in Hierarchia Ecclesiastica, ordinem inverti, ovesque castiores & puriores esse Pastore. Vehementer Ecclesiam Christi destruit, meliores Laicos esse, quam Clericos.* 8. q. 1. cap. *Qualis*

II. *Omne omnino Pastor scandalum devitet: Quia si horrendum vix intentat cuiusvis scandalum danti, æterna Veritas: Vix homini per quem scandalum venit: quanto magis Pastori. Sicut enim Pastoris bonum exemplum vi magnâ pollet, suos ad se-*

que-

quelam pertrahendi; ita ob naturæ corruptæ pronitatem, malum Pastoris exemplum, longè majorem vim habet impellendi in malum. *Considerate quid de gregibus agatur, si Pastores fiant lupi, ait S. Gregorius. Idcirco.*

I. Caveat sedulò Pastor, ne ullo vitio, sive irâ, sive avaritiâ, sive crapulâ, sive luxuriâ suis scandalum præbeat. Ratio est, quòd quamvis via ista pertrahendi ad sequelam, omni exemplo pravo communis sit; longè tamen major est in personis, quas venerabiles suâ dignitas, suâ doctrina æstimabiles efficit: tales enim non solum docent scelus, quod patrant; sed illis etiam erubescentiam adiungunt; quæ quasi agger est vitia continens, ne in publicas vias exundent, & omnem honestatem demergant. *In exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia Ordinis, peccator honoratur, ajunt sacri Canones. Viso exemplo pravo Sacerdotum,*
que-

querebatur Christus S. Birgittæ l. 4.
 Revel. c. 32. Peccator fiduciam pec-
 candi sumit, & incipit de peccato, quod
 prius erubescendum reputabat, gloriari.
 Talis cum Ethnicis canit: *Quod Divos
 decuit, cur mihi turpe putem?* Hinc
 grandis illa strages & ruina tot ani-
 marum ad Orcum turmatim ruen-
 tium; ad quam ingemiscit S. Grego-
 rius homil. 17. in Evangel. inquitens:
*Nullum puto ab aliis majus præjudi-
 cium, quam a Sacerdotibus tolerat Deus:
 quando eos, quos ad aliorum correctio-
 nem posuit, dare de se exempla pravita-
 tis cernit: quando ipsi peccamus, qui
 compescere peccata debuimus.*

2. Longè ampliùs sibi attendat,
 seque Dei timore munit, ne directè
 verbis ad peccandum alliciat: si enim
 ut diximus, tam nociva sunt scandala
 & exempla prava communia & indi-
 recta, quibus propositum non est,
 alios ad peccatum inducere, quàm fœ-
 da, quàm noxia, quàm horrenda erunt
 illa, quibus directè & ex intentione
 ani-

animas in ruinam impellimus? Væ
ejusmodi Sacerdoti! væ Præsuli! væ
Pastori! *Væ homini illi, per quem scan-*
dalum tale ac tantum venit! Qui lin-
guâ serpentinâ, nunc hanc, nunc illam
innocentem aut incautam animam se-
ducere nititur asserendo in familiari
colloquio: impudicitia labem inter
mala minimam esse; omnes nos ex
luto fictos, omnes non Angelos, sed
homines esse ac carne constare: para-
tum eum in finem esse pœnitentiæ Sa-
cramentum, ut sit remedium delin-
quentibus: Deum misericordem esse,
& fragilitatem nostram non ignorare.
Verùm ô Pastor! non Pastor, sed Lu-
pus, non Ductor ad cœlum, sed Sedu-
ctor & auriga ad Infernum, omni fure
& latrone deterior; tot mortibus
digne, quot ad subditos perditionis
exempla transmittis Audi horren-
dum minarum divinarum tonitru,
quo si non excitaris, non somno se-
pultus, sed mortuus es. *Audite hoc*
Sacerdotes (minatur Deus. Osee c. 1.)

quia

quia vobis iudicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, & rete expansum super Thabor. Id est: Hæc seductio & corruptela gravissimi iudicii vobis materia erit: quoniam qui in monte Thabor, in monte sancto & electo, excelsoque constituti, tanquam in specula, ovium vestrarum pericula prævidere debebatis, illis in laqueum peccati & perditionis facti estis: *Audite, Audite hoc sacerdotes, quia vobis iudicium est, formidabile & tremendum.*

At quale iudicium? Figuram illius per Ezechielem Prophetam ob oculos ponit Deus, dum in eiusmodi Ducem impium tale contorsit fulmen. c. 21. 25. *Tu autem profane, impie dux Israel, cuius venit dies in tempore præfinito! hæc dicit Dominus Deus: aufer cidarim, tolle coronam, nonne hæc est quæ humilem sublimavit, & sublimem humiliavit? Iniquitatem, Iniquitatem, Iniquitatem ponam eam. Aptet sibi hæc sceleratus Pastor, qualem in orbe terrarum opto esse neminem; Tu autem profane, erga Deum*

Deum, *impie* erga gregem, *dux* Israel, dux populi ad exitium: ubi advenit tempus præfinitum, depones vestes sacerdotales & coronam, quâ honoratus & exaltatus fuisti; nunc autem deprimendus: *Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam*, ad ostendendam monstrositatem iniquitatis, & malignitatem triplicem, uno ictu tres ferientem, Sacerdotem, Populum, Deum.

Ne id eveniat; quisquis ejusmodi est, serio pœnitentiam agat, in ascetis sacram se abdat, & peccati hujus gravitatem perpendat, delicta & scandala data, illustrioribus virtutum exemplis compensare studeat; Refert Cantipratanus. Hujusmodi surfuris Sacerdoti aspectabilem se præbuisse S. Petrum vultu, verbisque minitabundum & inserto ejus manibus Libro, dixisse: *Lege, infelix lege: & legenti occurrerunt verba: Quando reduces animas, quas tuo exemplo, æterno supplicio demersisti? Lege & sententiam damnationis in se fulminandam, Parochiam relinquendo*

do, & inter S. Bernardi alumnos poenitentiam agendo, declinare satius duxit, quàm procrastinando, in igne aeterno peccata luere, non delere.

3. Exempli etiam haud laudabilis est, Pastorem animarum, lusu chartarum & alearum se oblectare: id enim solenni edicto veritum c. Clerici, de vita & hon. Cler. *Clerici nec particeps erunt ludentibus, nec inspectores ludi.* Et quidem olim id sub poena suspensionis triennalis, interdicebatur. Verùm quid, inquit quispiam, in hoc lusu est mali? Esto, caetera mala absint omnia, non abest mali exempli perversitas. Vipera veneno suo non sibi nocet, sed aliis. Dicent enim illicò saeculares: Pastorum nostrorum manus, hi lusus non dedecent, cur nostras dedecent? Pastores nostros praecuntes sequimur. Cogitandum igitur Sacerdotibus & Pastoribus, se manus habere non communes sed sacrosanctas. *Indignum est, ut manus quae sacramenta consummant, aleas tractent,* ait S. Cyprianus de Aleat.

4. longè

4. Longè autem reprehensibilis est, Parochum interesse saltibus & choreis; minimè etiam decet eum, aut choreas procurare, aut promovere; aut eas ducere; imò ne quidem ante oculos suos indignum ejusmodi spectaculum tolerare convenit. Si secus faxit 1. auctoritatem suam prostituit apud plebem, eum leviter saltitare, conspicientem: & quomodo femina manum Pastoris vel hostiam sacram elevantis, vel eam ad absolvendum extendentis, vel ad terrorem in concione vibrantis, hodie reverebitur, quæ heri illam strin-gebat & circumducebat in gyrum? 2. Quomodo, ut debet, istiusmodi ludos disturbabit, quos ipse exercere non veretur? 3. Taceo alia peccandi pericula: nam ut scribit S. Ephrem (tantæ Doct̃or auctoritatis, ut viventis etiamnum Libri, post sacra volumina, publicè in templis legerentur, teste S. Hieron. de script. Eccl. *Ubi cythara & chori, ibi mulierum perditio, ibi Angelorum tristitia, & festum diaboli.*

hæc

Hæc & alia exempla prava Parochum, pro viribus cavere Lex divina jubet, ratio postulat; proximi charitas & zelus animarum requirit, vix horrendum & minæ meritò terrent; uti & periculum damnationis in iis animabus, quas ad beatitudinem æternam deducere debebat: perpetuis devotendus diris, & maledictis in Tartaro oppellendus, si pravis illas exemplis eò devolverit. Videat ergo ne tantum malum unquam committat, & Dei querelas verificet: *Grex perditus factus est populus meus: Pastores eorum seduxerunt eos.* Jerem. c. 50.

C A P U T IX.

De mortificatione Pastoris

AD virtutum exempla præbenda, scandalâque, vitanda quodnam remedium efficacius mortificatione? quî enim pravum exemplum homo mortificatus? aut quomodo immortificatus

ficatus bonum præbebit? liquet igitur quàm hæc Pastori sit necessaria, tum ut ædificet alios, tum ut seipsum perficiat. Mortificatio autem seu abnegatio duplex est, interior & exterior; hæc sensus frœnat, corpus castigat & in servitutem redigit; illa interiores animi motus & passionés domat atque compescit: *Duo sunt abstinentiæ & crucis genera, ait S. Augustinus, unum corporale, alterum spirituale: quod pretiosius atque sublimius est, scilicet regere motus animi & litigare quotidie contra seipsum* ferm. 20. de Sanctis

Utrùmque hoc mortificationis genus non solum utile, verùm etiam necessarium est Pastori animarum; idque duplici titulo primò quia est discipulus & sectator Christi: est insuper Clericus, & Sacerdos: ac proinde necesse est, ut abneget seipsum: ait enim Veritas: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum.* Mat. 16. 24. & S. Paul. ad gal. 5. 24. *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*

riis. Secundò, ratione pastoralis officij: est enim Doctor, Pastor, Medicus suarum ovium, illásque vitia, passiones & concupiscentias malas edomare, docere debet, ac proinde prius seipsum doceat & curet necesse est; ne ipsi oggeratur: *Medice cura teipsum.* Et Turpe est doctori cum culpa redarguit ipsum. Legi possunt de mortificatione Arias, Alvarez, Rodericius, Rosignolius, Saintjurius & alii prolixè materiam istam tractantes. Hic solàm brevissimè mortificationis capita & causas perstringimus.

Abneget itaque Pastor animarum & mortificet

1. Quinque sensus suos, oculos, præsertim, aures & linguam; ne peccati mors per eosdem ingrediatur: *Ascendit mors per fenestras nostras* ait Jer. c. 9. Sciat Pastor se non esse innocentiorè Evâ, sanctiorè Davide, fortiorè Samsonè, nec Salomone sapientiorè; qui capri in oculis suis, in fauces peccati & mortis animæ cecidère

2. Abne

2. Abneget corpus & membra sua; ne recalcitrent & animam, tanquam equus ferox & indomitus, præcipitent: igitur operibus pœnosis illa cœrceat ac domet, exemplo S. Pauli, dicentis: *Castigo corpus meum & in servitutem redigo; ne forte. cum aliis predicavero, ipse reprobus efficiar.* 1. Corint. 9. *sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aërem verberans.* Similiter currat & pugnet zelosus animarum Curator.

3. Abneget vitia, passiones, pravas inclinationes, cupiditates, & consuetudines. Et quidem 1. vitia. scilicet superbiam, iram, gulam, invidiam, avaritiam, luxuriam, accediam. 2. animi passiones. quæ ex mente S. Ioan. Damasceni & Doctoris angelici, sunt motus sensibiles seu sensitivi, potentia appetitiva, ob imaginationem boni vel mali provenientes. In appetitu concupiscibili sex reperiuntur. Amor, concupiscentia, fuga, delectatio, tristitia, odium. In appetitu irascibili quinque, spes, desperatio, audacia, timor, ira. Quorum

F

omnium

omnium dux est amor proprius inordinatus. 3. Pravas consuetudines & habitus, per actus frequentes, acquisitos & auctos, & per actus contrarios destruendos. 4. omnis generis tentationes ex antedictis, exortas.

Damna ex defectu mortificationis emergentia, quis enumerârit, aut descripserit? Hinc enim interitus spiritualium bonorum, fluxus continuus peccatorum; regnum cupiditatum, imperium Dæmonum, pacis exterminium, bellum intestinum, procella tenebrarum, & innumerarum interitus animarum, exoritur.

Emolumenta verò & commoda mortificationis, quis sufficienter prædicârit, aut vivis coloribus depinxerit? Abnegatio parens est veræ sapientia; de qua dicere licebit: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Meritum, gratia, virtus, pax, gaudium, charitas, perfectio, sanctimonia, ac denique beatitudo perpetua.

O beata mors, ex qua vita æterna procedit

procedit! de qua S Bern. serm. 52. incant. *Vtinam hanc morte frequenter cadam, ut evadam laqueos mortis; ut non sentiam vita luxuriantis mortifera blandimenta: ut non obstupescam ad motum libidinis, ad estum avaritiae, ad iracundiam & impatientiae stimulos; ad angores sollicitudinum & molestias curarum. Moriatur anima mea morte justorum; ut nulla illam illaqueet fraus, nulla oblectet iniquitas: bona mors, qua vitam non aufert, sed transfert in melius. Hic est sensus, hic affectus Doctoris melliflui de morte seu mortificatione; animarum Curatoribus exoptandus & imitandus.*

Quapropter si Pastor animarum i. cupiat veri Christiani, veri servi Christi, probi Sacerdotis & Pastoris boni nomen & omen sustinere; abneget semetipsum: ait enim veritas: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, Lu. 7.*

2. Si velit peccatis eliminatis, vitis que extirpatis puritatem cordis acquirere: abneget semetipsum; ac praesertim voluntatem propriam. ut enim

Cassianus ait L. 4. de instit. *Mortificatione voluntatum extirpantur & marcescunt vitia universa: extirpatione vitiorum virtutes fructificant atque succrescunt: pullulatione virtutum, puritas cordis acquiritur: puritate cordis, apostolica charitatis perfectio possidetur.*

3. Si passionum tumultu sedato, veram stabilemque pacem mentis & tranquillitatem nancisci desideret; abneget semetipsum, & concupiscentias suas malas. *Vnde enim bella & lites in vobis; nonne ex concupiscentiis vestris, quae militant adversus animam? Iacobi 4. 1.*

4. Si orationis & meditationis donum à Deo obtinere gestiat; quæ mortificationi juncta, catena aurea est, quæ dona quævis cœlestia ad se pertrahat; abneget semetipsum. Quia per montem myrrhæ (sive mortificationis) ad collem thuris (sive orationis) pervenitur. *Cant 4. 5.*

5. Si optet lumen impetrare à Patre lumen, & scientiam sanctorum, quæ & se & suos in via mandatorum

Domini

Do mini, in semita salutis & perfectionis dirigat; abneget semetipsum: Quem enim docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? quærit Iſc, 28. 5. an hominem animale, sensuale, immortificatum? minimè gentium. Animalis enim homo, non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere: 1. Cor. 2. 14. quem igitur? Respondet Isaias loc. cit. ab lactatos à lacte & avulsos ab uberibus; à mundi scilicet, carnisque voluptatibus

6. Si denique Pastor cupiat copiosum fructum spiritualem tam sibi, quàm proximis suis & ovibus sibi commissis proferre: abneget semetipsum. Nisi enim granum frumenti cado in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, fructum multum affert, Ioan. 12. Quomodo enim ex animis auditorum superbiam expellet Pastor & Concionator superbus & ambitiosus? Quomodo animis auditorum castitatem persuadebit & inseret luxuriosus? Liberalitatem in
pauperes

pauperes avarus? Fraternali charitatem invidus? Mansuetudinem iracundus? Fervorem spiritûs, in obsequio divino, acediosus? Nemo dat quod non habet, ajunt Philosophi: neque enim aut ignis refrigerare, aut glacies calefacere, aut tenebrae valent illuminare.

Si itaque prædictos fructus nobilissimos degustare Pastores exoptent; abnegent se: *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram ad Colof. 3. 5.* non exteriora tantum per opera pœnosa, verum etiam interiora, quæ mox subjungit Apostolus: *Fornicationem, libidinem, concupiscentiam malam,* quæ corpus peccati & veteris Adæ constituunt; ex mente S. Chryf. & S. Amb. Hæc ratione peccatorum, vitiorumque laqueos evadent, & in libertatem filiorum Dei sese afferent, fructusque prædictos, ad eum præstantes, scilicet meriti & præmii, virtutis & perfectionis, orationis & luminis, cum ingenti mentis serenitate & gaudio, abundè degustabunt.

CAP.

CAPUT X.

De Fide Pastoris.

Fides, ut docet S. Chryf. ser. de fide: est
 Origo iustitia, devotionis Principium,
 Religionis fundamentum: sine qua nullus
 unquam Deum promeruit, nullus perfec-
 tionis fastigium ascendit. Est Primoge-
 nita Virtutum, ad salutem omnino ne-
 cessaria: quia sine fide impossibile est pla-
 cere Deo. Heb. 11. Quod si autem fides
 omnibus necessaria est; quantò magis
 Pastori, fidei Magistro, Iustitiæ Prædi-
 catori, Religionis conservatori, &
 perfectionis exemplari? Quare præ
 reliquis Curatori animarum, fidei na-
 tura & proprietates, deinde admirandi
 effectus, ac denique motiva, media &
 incitamenta probè sunt cognoscenda,
 tum ut seipsum, juxta eam in via salutis
 & perfectionis dirigat, tum ut sibi con-
 creditos rectè credere doceat: milleni
 enim inter rusticos ac rudes, (utinam
 non etiam inter nobiles, nunquam ca-
 techesin frequentantes!) reperiuntur;
 qui

qui actum fidei elicere nesciant, & fortassis totâ vitâ non eliciant.

I. Quid igitur est fides? Theologis asceticis Fides est *Virtus intellectûs theologicæ, quâ assentimur mysteriis revelatis, propter authoritatem Dei revelantis.* Fides virtus est *intellectûs*, quemadmodum Spes & charitas virtus est voluntatis. Est virtus *Theologicæ* quia, versatur circa Deum, per quod distinguitur à virtutibus moralibus. *Authoritas Dei, est infallibilis quia Deus, qui loquitur & testimonium perhibet; est infinite sapiens, idè què non potest falli, aut decipi, aut ignorare: èst què infinite verax & prima ac summa veritas; adeò què non potest nos fallere aut mentiri, in iis, quæ revelat aut loquitur.*

S. Paulus ad Hebr. II. ait: *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Ac si diceret: Fides est basis & fundamentum eorum, quæ à Deo speramus: in græco textu est *Substantia, subsistentia & existentia*

istentia rerum, quas speramus: quod S. Chryf. hâc ratione declarat: ea quæ speramus, v. g. resurrectio gloriosa & beatitudo futura: quasi sine substantia esse putantur: fides verò tribuit eis substantiam & existentiam, eaque nobis tam certa reddit, ac si jam existerent ac forent præsentia. Atque ut substantia substât accidentibus; ita fides substât & basis est virtutibus. *Argumentum non apparentium* demonstratio, & convictio intellectûs; quâ certissimè, iis, quæ visa non sunt, adhæremus. S. Thomas explicat: sicuti arborem quodammodo tenemus in semine; ita res speranda, jam quodammodo in nobis per fidem existunt, & possidentur.

Fides ternas requirit proprietates
 Est *obscura* tanquam lucerna lucens in caliginoso loco, ut ait S. petrus 2. Petri 1. 19. Est autem *obscura* propter mysteria supernaturalia, intellectûs nostri tenuitatem excedentia: & hinc captivandus intellectus in obsequium fidei, & solum hîc valet illud: ipse dixit:
 Deus

Deus locutus est & testimonium præbet. Unde ab Apostolo 1 cor. 13. ejusmodi mysteria, umbra, imagines, specula, anigmata & velamenta nuncupantur. Est quoque *obscura*, eò quòd non clarè perspiciamus aut sciamus Deum ista revelasse; etiam si sint valde credibilia. 2. Est tamen etiam *lucida*: quia vocatur ab Apostolorum Principe, *lucerna lucens*, illuminans omnem hominem, venientem in hunc mundum, radiòsque suos emittens à solis ortu usque ad occasum: sine qua in meris tenebris versamur. Est ergo fides veluti lux illa S. Paulum circumfulgens. Act. 9. quæ corpore cœcum, animo acutum reddidit: est sicut columna ignea, lucens de nocte & Israelitas in terram promissionis deducens: est sicut stella Magos ducens ad Christum; evanesceus, ubi Hierosolymam, inquitum vadunt: fides enim rationes naturales & humanas excludit. 3. Est *certa*. propter auctoritatem Dei revelantis: *Cœlum & terra transibunt; verba autem mea*

mea

mea non prateribunt. Matth. 24. 35. Scio
cui credidi & certus sum. 1. Tim. 1.

II. Duplex verò datur Fides; *mortua* & *viva* f. *Fides mortua* est, quæ caret charitate; reperiturque in Dæmonibus; qui *credunt & contremiscunt*: & in hominibus peccato lethali obstrictis; quibus deest charitas, quæ est anima virtutum: unde ejusmodi fides caret merito, præmio, & splendore, qui ei inesse deberet: est nihilominus fides; sed mortua: veluti oculus cadaveris, est oculus; sed mortuus; est radix; sed mortua; est mater; sed sterilis; est luna; sed nullo lumine solis illustrata. 2. *Fides sine operibus (charitatis) mortua est* Jac. 2. Fides autem viva, est formata & ornata charitate. Quam Apostolus fidem nuncupat, *quæ ex charitate operatur*. Ad Gal. 5. 6. *Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum*. 1. corinth 13. 2. De hac fide quarit D. Thom. 2. 2. q. 5. a. 4. *Utrum in uno major dari possit, quàm in altero: respondetque omnino posse*

posse; cùm Christus Dominus Petro dixerit: *Modica fidei quare dubitasti.* Mat. 14. Et Mulieri: *Mulier magna est fides tua.* Math. 15. Unde concludit: ubi datur magnum & parvum; ibi reperitur quoque majus & minus.

III. Hæc *fides magna*; non solum est viva; sed etiam vivida, seu vivax, fortis, robusta, & per frequentatos actus radicata & roborata: ternisque, præter antedictas gaudet proprietatibus: nam

1. *Est valde firma*: ex parte enim intellectus firmissimam habet certitudinem; quâ ita adhæret objectis revelatis; ut nihil omnino dubitet vel hæsitet: quomodo S. Leo ait serm. 4. de Nat. Christi. *Huic unitati inconcussis mentibus inherete.*
2. *Est simplex & humilis*: nam summâ animi simplicitate & humilitate, per eam quis se Deo, & Ecclesie, tanquam idiotam & puerum, instituendum subjicit; exemplo Abrahamæ, Apostolorum & aliorum Sanctorum, *Tota*, ut inquit S. August. Epist. 3. *ratio facti, est potentia facientis; & autoritas*

F5

reve-

revelantis. 3. Est fortis, constans, lata
& alacris, etiam inter tormenta &
martyria: ut in innumeris Martyribus
patet. Cui resistite, ait S. Petrus Ep. 1. c. 5.
fortes in fide, & S. Paulus, Gaudium fi-
dei, vocat. ad Phil. 1.

IV. Fides mortua, relinquatur Dæ-
monibus & scelestis; quàm longissimè
verò absit à Parocho. Fides modica,
toleranda fortassis est in rudibus paro-
chianis; quamvis omni conatu laboran-
dum sit Parocho, ut in iis crescat &
augeatur. At fides magna, fides vivida,
omnino decet Pastorem animarum;
tum ut eam alios doceat; tum ut ipsum-
met dirigat. Hæc enim fides est basis
totius vitæ pastoralis, omniumque
virtutum & functionum parochialium
fundamentum, cui superstruantur om-
nes, atque innitantur. Quod si fiat, ô
quæ lux, quæ gratia, quis splendor,
quis decor, tenor, fervor, in omni ac-
tione pastorali emicabit. Est enim illa,
teste Henr. Harphio, Theologo myf-
tico profundissimo, in Theol. myst. l.

1. c. 120. velut stella quinos lucidissimos evibrans radios: nam 1. Illuminat & dirigit, 2. excitat, vegetat, vivificat. 3. Purificat ac mundat. 4. Nobilitat & Dei filios constituit. 5. Roborat, confortat, & quodammodo invincibiles reddit: adeoque omnium horum bonorum, Pastorem participem efficit.

V. S. Laurentius Justinianus in ligno vitæ de fide c. 5. vividam ejusmodi fidem, non immeritò cum Sole, lucidissimo mundi oculo, componit: *Ipsa fides, ait, sicut Sol in meridie, ita fulget in mente.* Nam 1. Sicut absque Sole, omnia in mundo squalent in tenebris: à sole verò lucem & splendorem hauriunt: ita in animæ Pastoralis microcosmo: omnia à fide vivida lucem mutantur, oportet: Tolle enim fidem hanc, quid valde sperabit? quid metuet? quid amabit? Pone fidem hanc; jam virtutes omnes fulgorem emittunt. 2. Sicut absque Sole, in plantis & animalibus vita non conservatur; sed moriuntur

OMNIS

omnia: ita constans progressus vitæ spiritualis, huic fidei debetur: *Fustus enim ex fide vivit.* Rom. 1. 11. ac cum fide modica, facile moritur; cum fide magna, vivit constanter & in gratia perseverat. 3. Sicut Sole absente, omnes quiescunt & dormiunt, Sole nascente, ad labores redeunt. Ita Pastor, absque vivida fide, dormiet, quiescet, nec strenuè multùmve pro gloria Dei laborabit: eâ affulgente, nullos labores refugiet. 4. Sicut absente Sole, in hyeme, & noctu, omnia frigescent: ita quoque zelus & fervor Pastoris deficient, deficiente fidei vigore, illòque proficiente, proficiet. 5. Sicut noctu, in tenebris vagantur noctuæ, circumvolant vespertiones, fures & latrones grassantur, omniâque periculorum plena sunt: at Sole ad hemisphærium nostrum revertente, bubones & vespertiones sese recondunt, & pericula abcedunt: ita Pastor intensiore vivæ fidei lumine destitutus, in varia peccata, pericula & præcipitia corruet; qua

quæ fidei vividæ radiis collustratus evadet. Unde verè asseruit S. Theresia: *Omnia mundi damna & peccata, inde ortum ducere, quod Scriptura sacra veritates, homines haud satis intelligant, ac penetrent; nec fide vivace apprehendant.*

VI. Quare, mi Neoparoche, considera & practicè examina fidem tuam: et si quibusdam virtutibus, præsertim pietatis, devotionis, castitatis ac zeli, te fulgere adverteris, earundem splendorem, fidei vivaci, velut radios Soli, tribuendum esse deprehendes. Quod si è contrà te gravioribus peccatis obnoxium esse repereris, defectui fidei, id tribuendum esse, haud quaquam dubites. Unde enim, obsecro, profluit, quòd tam audacter in peccata proruas, nisi quia Deum præsentem, Judicem omniscium & omnipotentem, æterna supplicia intentantem, vividæ fidei oculis non intueris? Unde oritur, quòd lucri temporalis spe affulgente, ad opera pietatis, charitatis, & sacramentorum administrationes curras & voles

voles; eâ deficiente, te studio eo gradu adrepas, nisi ex fidei vividâ defectu: quòd scilicet, præmiorum immensitatem, gaudiorum cœlestium æternitatem, Numinis supremi, cui servis majestatem vividâ fide non apprehendas? Unde nascitur, quod tremendum missæ sacrificium, divinum Horarum officium, aliâsque preces, cursim & absque pietate, devotione ac attentione deproperes, nisi quòd Deum astantem, omnia cernentem & audientem; verba singula numerantem, ac discutientem, non attendas?

S. Hieron. in Dial. adversus Luciferianos: fidei vivacis effectus præclare exhibet: *Ad orationem inquit assisto; non orarem, nisi crederem: sed si verè crederem; illud cor, quo Deus videtur, mundarem; manibus tunderem pectus; genas lacrymis rigarem; corpore inhorrescerem; ore pallerem; jacerem ad Domini pedes, eosque fletu perfunderem, crine tergerem.* Applica hæc o Pastor! tuis sacrificiis, horis canonicis, Sacramentorum ad-
ministra-

ministrationibus, cunctisque operibus: & siquidem fidei vivida & alacris defectum notâris. media, motiva & excitamenta, quæ subjungimus, adhibere neutiquam intermitte.

VII. Medium 1. fidem augendi, & vividam fidem obtinendi est *oratio*. Est enim donum Dei descendens à Patre luminum, quod multis precibus, suspiriis & gemitibus à Deo petendum est: *Domine adauge nobis fidem! Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam.*

Medium 2. saepe considera auctoritatem Ecclesiæ, quæ est sponsa Dei, in Christo fundata, columna veritatis; cum qua Christus manet usque ad consummationem sæculi. Mat. ult. à qua Spiritus sanctus nec ad momentum recedit: *Apud vos manebit & in vobis erit.* Joan. 14. 17. Hæc summâ scientiâ illuminata, sacris literis locupletata, traditionibus apostolicis, Conciliis, Decretis Summorum Pontificum ditata, tanti ponderis est, apud quemque sapientem; ut infallibiliter teneat, à Deo dic-

ta esse, quæ ipsa tanquam Dei dicta proponit; à quibus omnem falsitatem abesse, certissimè intelligit.

Medium 3 Crebra consideratio motivorum credibilitatis, quæ intellectum convincunt, & res fidei evidenter credibiles reddunt

Cujusmodi sunt. 1. Prædictiones & vaticinia Prophetarum. 2. Testimonia innumerabilium Martyrum. 3. Multitudo miraculorum. 4. Attestatio ipsorum et Adversariorum & Infidelium. 5. Puritas Legis Evangelicæ. 6. Admirabilis ejus cum ratione concordia. 7. omnium mysteriorum hujus Legis summa consensio. 8. Stupenda ratio, fidei propagandæ per Apostolos idiotas & inermes. 9. Vis fidei in mutandis animis conversorum. 10. Sanctitas & sapientia Fidei Doctorum. 11. Vita illibata eam suscipientium & ejus præceptis se accommodantium. 12. Stabilitas Ecclesiæ, inter tot, tamque horrendas persecutiones. 13. Clades & interitus eam oppugnantium Tyrannorum

rum, ut in Nerone & Juliano aliisque patet. 14. Antiquitas Librorum Sacra Scriptura. 15. Quod bene notandum est: Carentia omnium prædictorum motivorum, in quavis alia secta. AS. Augustino, & aliis adduntur, consensus populorum, successio continua Pontificum, prophetia donum, catholica nomen, justissimo titulo possessum. Quæ omnia & singula admirata mens, meritò exclamat cum Vate regio. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis, psal. 92. Quibus licet non visis, assentiri, summa sapientia est; reluctari verò, damnabilis imprudentia. Quare rectè scripsit Richar. de S. Victore serm. 1. de Trin. c. 2. Si error est, Domine, à te ipso decepti sumus: hæc enim mysteria fidei, tantis signis & mirabilibus confirmata sunt, quæ a nullo alio, nisi à te fieri potuerunt.*

Medium 4. Crebrum exercitium & repetitio actuum fidei: quâ fides crescit & augetur. Pastor igitur crebrò actum fidei excitet, ut cum manè & vespere

peri se Deo commendat, cum horas recitat, cum sacrum celebrat, cum meditationem instituit, cum poenitentiae tribunal adit, cum sacramenta alia administrat; cum tribulatio vel tentatio oppugnat: In omnibus sumat scutum fidei inexpugnabile quo possit omnia terrene quae ignea extinguere. ad Eph. 6.

Fides sic roborata & perfecta mire in anima Pastoris operabitur, ut innuit S. Laurentius Justinianus in libro Vita de fide c. 2. *Perfeetorum fides facit carnem vincere, propriis voluntatibus contraire, delectationem vite praesentis extinguere, hujus mundi aspera pro aeternitate amare, prosperitatis blandimenta contemnere, & adversitatis metum in corde superare, Et. l. c. c. 6. Nulla majores divitiae, nulli thesauri, nulli honores, nulla hujus mundi major est substantia, quam fides christiana & catholica (viva praesertim et vivida) Quae peccatores salvat, coecos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles justificat, poenitentes reparat, justos augmentat,*
mar-

Martyres coronat, Virgines, Viduas, & Conjugales casto pudore conservat, Clericos ordinat, Sacerdotes conservat, & in hereditatem eternam cum Sanctis, feliciter collocat.

Quapropter, Pastor, dicta media sedulo adhibeat, si optatissimos vividæ & firmæ fidei fructus decerpere, ac coruscantes Solis hujus radios in se suscipere, & in suos reflectere desideret: si tenebras mentis dispellere, vitiorum noctuas fugare, vitam spiritualem conservare, itrenuè pro Dei gloria laborare, teporis frigus excutere, fervore igneo pastoralia munia obire, Diaboli insidias & peccatorum laqueos evadere cupiat. Absque hac, bona prædicta adeò excellentia, nunquam assequetur: nam, ut inquit S. Leo serm. 4. de Nativ. *sine fide nihil sanctum, nihil castum, nihil vivum unquam esse potest.*

C A P U T XI.

De Spe, & Fiducia Pastoris.

I. Spes ex mente S S. Patrum ac Theologorum est: *Expectatio certa futura*

futura beatitudinis, proveniens ex gratia Dei, & meritis nostris precedentibus. Objectum spei, seu id quod speramus, 1. Est *bonum*, quia malum est objectum timoris, 2. Est *futurum*, quia præsens est objectum gaudii 3. Est *arduum* seu difficile, quia facile, est objectum desiderii, 4. Est *possibile*; quia impossibile est objectum desperationis. Et hæc omnia reperiuntur in immensa gloria aeternæ beatitudinis; quæ est *bonum* & quidem summum, est *futurum* post hanc vitam: est excellens, ac propterea *arduum*. superans cunctas naturæ vires; & gratiæ postulans auxilium; cujus virtute est *possibile*.

Deinde virtus hæc Theologica, in voluntate residens, innititur ac fundatur. 1. In Dei omnipotentia, qui potest nos salvare, omniâque salutis media conferre; cui nihil est impossibile. 2. In Dei Bonitate, Charitate, & Misericordia; quâ nos vult salvare: *Vult enim omnes homines salvos fieri.* 2. Tim 2. & neminem vult perire: ideo etenim crea-
vit

vit, redemit, vocavit ad fidem, gratiam & gloriam 3. In promissione infallibili Dei, & juramento firmatâ. *Jurandum, quod juravit ad Abraham, Patrem nostrum.* Cant. Zachariæ & ut scribit Apostolus Heb. 6. *Ut per duas res immobiles, id est, promissionem, & juramentum, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, & spem concipiamus.* 4. Accedunt merita Christi, infiniti valoris; quibus nobis beatitudinem & media ad eam promeruit. 5. Unum est quod spem videtur posse minuere, scilicet peccata nostra. Verùm hîc cogitandum misericordiam Dei & merita Christi, esse infinitè majora, quàm sint omnia totius mundi delicta: hæc, enim omnia, ad illa sunt, veluti gutta ad oceanum immensum, velut aquæ stilla ad ignem infinitum; quàm facilè hic absorbit stillam, tam facilè Dei misericordia & bonitas nostram consumit malitiam, modò agamus pœnitentiam, & emendemus vitam. Unde optimè suadet S.

Chrysol.

Chrysoſtomus hom. 2. in pſal. 50: Si impius es, cogita Publicanum, ſi immundus es, attende meretricem; ſi homicida es, respice Latronem; ſi iniquus es, cogita Blaſphemum, conſidera Paulum, prius perſecutorem; poſtea annuntiatorem; atque hiſte anima, excita, omnique deſperatione eliminatâ, ſpem firmam concipe.

II. Hæc autem ſpes unicè quoque neceſſaria eſt Paſtori animarum; qui non tantùm ſperare & orare; ſed etiam alios ſpem & orationem docere tene- tur: prius itaque ſit, inſtar vaſis ampli, plenus ſpe, & abundet in ſpe, ut poſt- modum effluat, & in ſuos influat. Quis enim in hac virtute potiori jure excellat, quàm is qui in Ordinis ſuſ- ceptione, ritu ſolenni profeſſus eſt: *Dominus Pars hereditatis mea, & calicis mei, pſal. 15. 5. In quem locum D. Aug. appoſitè: Eligant ſibi alii partes, quibus fruantur, terrenas & temporales: portio mea Dominus: bibant alii mortiferas vo- luptates; pars calicis mei, Dominus eſt.*

G.

quis

Quis arctius Deo debet adherere, & ponere in Domino Deo spem suam; quàm ille; qui annuntiaturus est, prædicationes ejus, in portis filia Sion? Quis magis auxilium à Deo sperare; quàm ille, qui abdicatis secularibus desideriis, non amplius respicere debet in vanitates & insanias falsas. Qui oves suas pusillanimes animare, tristes consolari, dejectas erigere, desperabundas, misericordiaz divinæ & veniæ spe confortare; pro omnibus orare & sacrificare tenetur? Itaque spem velut anchoram, & galeam salutis assumat.

III. Ad spem veluti ad Anchoram in omnibus adversis Pastor confugiat; & quo sævioribus plerumque procellis, in hujus vitæ pelago, ejus cymba impetitur; quam non secus litus; sed in altum ducere præcipitur; ut in animarum capturam retia laxare possit; eò majori sedulitate, complectatur propriam spem; quam, ut loquitur Apostolus Heb. 6. 19. habemus sicut anchoram animæ tutam, ac firmam & incedentem

cedentem, usque ad interiora velaminis;
ubi præcursor pro nobis introivit *7* *Jesus*,
secundum ordinem melchisedech Ponti-
fex factus in aeternum. Sit ergo spes Pa-
rochi firma & securam; quæ sicut ancho-
ra in mari navem, inter ventos & fluc-
tus firmam, illæsam, inconcussamque
retinet & conservat: sic quoque ani-
mam ejus inter tentationes, omnesque
hujus sæculi agitationes, quibus in hac
vita, quasi navigans jactatur, firmet &
corroboret; ut solida, immobilis, con-
stans in fide, studio virtutis, & anima-
rum cura consistat. Sit *firma* spes fixa,
non ut anchora in profundo; sed in
summo, scilicet Deo, sic incedet, usque
ad interiora velaminis, non illius, quod
dividebat sanctum, à sancto sancto-
rum, in templo Salomonis, sed ad inte-
riora velaminis, in Ecclesia triumphan-
te in cœlis. Id est incedet & pervadet
ipsam cœlum, quod nobis velut vela-
men est, à Deo nos dividens, & veniet
ad interiora, ad ipsam visionem Dei,
omnemque gloriam & opes Beato-
rum

rum. Quóque spem mirè acuit, Christus præivit, non tantùm pro sua; sed etiam, pro nostra gloria, ut viam nobis sterneret, & portas aperiret. Ubi denique, quod spem planè confirmat, Christus *Pontifex æternus* Patri assistit, illique crucem & mortem suam representat & offert, ut Fidelibus suis, omnem gratiam, & media ad cælum obtinendum, impetret.

Quis igitur non speret firmiter? quis anchoram hanc sibi abrumpi patiatur? Quare ô Pastor! consilium Augustini sequere *Si insurgant venti tentationum, noli abrumpi ab anchora, antequam intres in portum. Si procella & tempestates tumultuentur; noli abrumpi ab anchora: Si sirenes blandiantur & velint seducere; noli abrumpi ab anchora, spem non dimitte,*

IV. Spes Pastori sit instar galeæ, quæ caput ejus obarnet & protegat, ut hortatur Apostolus. ad Ephes. 6 17. *Galeam salutis assume* & 1. Thess. 5. 8. *Induam loricam fidei & charitatis, & galeam*

leam spem salutis. Habet Pastor, si exactè officio suo fungatur, multos labores & difficultates non paucas, in concionando, catechizando, monendo, corrigendo, exhomologeses excipiendo, sacramenta administrando. Si hæc difficultia accidant, si tædium & lassitudinem in his sentiat: galeam spei induat, galeam salutis assumat: *Non sunt condigne passionis huius temporis, ad futuram gloriam, que revelabitur in nobis.* Rom. 8. *Nullus labor durus, nullum tempus loquæ videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur,* ait S. Hier. Quod si etiam carnis voluptas titillet, mundus honores inanes offerat, Diabolus divitias & omnia regna mundi ostendar, variisque tentationum laqueos tendat. *Galeam salutis assumat: æternas delicias; æternas divitias, honores æternos cogitet, & omnia mundana, ut vana, ut caduca, ut stercora arbitrabitur: & dicet cum Aug. Manual. c. 7. Quid dabit eis, quos prædestinavit ad vitam, qui hæc dedit & eis, quos prædestinavit ad mor-*

tem? Gaudium sine mœrore, requiem sine labore, opes sine amissione, sanitatem sine languore, abundantiam sine defectione, vitam sine morte. Hæc spes proteget eum, excitabit eum & aliam in omnibus operibus ac difficultatibus addet: nam *Qui sperant in Domino*, (non in creatura; sed in Creatore) *mutabunt fortitudinem* (propriam, cum fortitudine Dei) *assument pennas, sicut aquilæ, current & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient.* Isaia c. 40. 31. donec ad gloriam cœlestem, Deumque quem unice sperant, feliciter Perveniant.

V. Quemadmodum Parocho non sufficit fides viva, nisi etiam sit vivida, & crebris actibus firmata & aucta, ita nec illi sufficit spes, nisi pariter sit firma, & robusta, quæ est fiducia. Hæc ut docet D. Thomas 2. 2. q. 29. importat robur quoddam spei: quæ ubi fuerit robusta, dicitur fiducia; minus robusta nomen spei retinet: de qua dicebat Seneca Epist. 16. ad Lucilium: *De te spem habeo, sed nondum fiduciam.* Hoc autem
 robur

robur spei, ut tradit D. Thomas l. c. provenit ex aliqua consideratione, quæ vehementem opinionem de bono consequendo pariat: ut si quis ab amico divite & potente se speret adjuvandum: unde accedit aliqua securitas, quæ reddit quasi certum, tollit dubium, anxietatem & curam, de obtinendo, quod sperat: pro cuius ulteriore intelligentia

*Fiducia est expectatio firma, quod Deus in omnibus necessitatibus, tum temporalibus, tum spiritualibus nos juvabit, & in tribulationibus non derelinquet. Niti-
tur autem hæc fiducia, iisdem principiis, quibus spes. 1. quia Deus est omnipotens, qui potest dare & juvare. 2. Est infinitè bonus & misericors, vult juvare, imò ut revelavit S. Brigittæ l. 5. revel. c. 15. Est paratior dare, quàm aliquis petere. 3. Christus infinitis meritis omnia promeritus est. 4. Promisit: Petite & accipietis. Lu. 11. Maximè si ex parte nostra non sit impedimentum, quod insinuat S. Joan. 1. ep. c. 3.*

Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petimus ab eo, accipiemus. Si cor nostrum non reprehendat nos, ob peccatum mortale, actu animam inficiens; deinde ob peccata venialia deliberatè commissa; & denique si minima, quæ Deo displicent cavere studeamus. Ut igitur Pastor & se & suos in spe firmissima & fiducia roboret, sequentia expendat motiva.

VI. Motivum I. Homo est creatura, ex omnibus in terra degentibus nobilissima; propter quem, tanquam Dominum, mundum universum creavit. Si ergo Deus lilia agri sic vestit, aves pisces & animalia sic nutrit, ab elephante usque ad formicam; ab aquila usque ad passerculum, à balæna usque ad triglam, quæ omnia hominis sunt quasi mancipia; quantò magis hominem, eorum Dominum, non deseret; sed dabit omnia tum corpori, tum animæ necessaria, & aderit in necessitatibus, nec unquam deseret?

mo-

Motivum II. Homo, Christianus in nomine SS. Trinitatis baptizatus, in Deum credens, sperans, amans, mandata observans, sacramenta usurpans, à malo declinans, ac bonum faciens, quidni confidat in Deum! Israëlitas rebelles, 40 annis, manna pavit in deserto, curam eorum, plus quàm paternam gessit; ab inimicis defendit, & Christianos, veros Israëlitas deseret? Nolite solliciti esse, hæc omnia gentes, Deum ignorantes, inquirunt. ait ipse in Evangelio, Matth. 6. Luc 10.

Motivum III. Homo christianus & maximè Pastor; Dei servus & Minister est: Quis autem Dominus servo fidei subtrahit necessaria? quis belli Dux militi denegat stipendia? quis Pater familias operario denariû pendere recusat? Pater, Dux, Dominus regit me & nihil mihi deerit. Quin & servum fidelem, super omnia bona sua constituet. Mat. 24.

Motivum IV. Homo christianus, & Pastor, non solum Dei servus, sed Dei
 Gs. quoque

quoque amicus est. Amans eum & ab eo amatus: Vos amici mei estis, si feceritis, quae ego precipio vobis. Joan. 15. an vero amicus amicum derelinquet? & quidem amicus, qui ut ait S. Cyprianus l. 2. ep. 2. Manat jugiter, exuberat affluenter: quantum fidei (& fiducia) afferimus, tantum gratiae haurimus: & ut spor. te sol radiat, dies illuminat, fons rigat, imber irrorat: ita se spiritus caelestis infundit.

Motivum V. Christiani omnes (inter quos & Pastores numerantur,) oves sunt Christi; & quidem oves, ejus sanguinis pretio emptae, tam sollicitè quaesitae, tantà curâ pastae & enutritae: Et has Pastor deseret? has non custodiet, proteget, nutriet? Has fame perire sinet Pastor bonus, qui vel animam suam pro ovibus suis tradidit? absit, absit: Si bonae, si morigerae oves fuerimus, si vocem ejus audiverimus, quidquid petierimus, impetrabimus.

Quapropter Pastor animarum i. in omnibus adversis & tempestatibus, ad spei & fiducia anchoram confugiat.

2. In omnibus laboribus, & certaminibus, *Galeam salutis* assumat. 3. In omnibus quæ sibi, suisque necessaria & utilia ad salutem autumat, tanquam creatura Dei, tanquam homo, christianus, servus, amicus, & ovis Christi, singularem fiduciam concipiat: Hæc mirificè eum excitabit, juvabit, exhilarabit: & constituet inter *spe gaudentes* Rom. 12. efficietque ut à Deo finem, id est beatitudinem æternam, & media salutis, id est sustentationem, remissionem peccatorum, extinctionem vitiorum, mortificationem passionum, adeptionem virtutum, victoriam tentationum, intimam cum Deo familiaritatem, perfectionem sacerdotalem, integramque muneris pastoralis adimpletionem feliciter adipiscatur: nam *spes non confundit*. Rom. 5. 5.

C A P U T XII.

De timore Domini

CUM Spiritus S. per os Davidis,
ad discendum timorem Domini
omnes

omnes invitet, *Venite Filii, audite me, timorem Domini docebo vos.* Psal. 33. Doctrinam ejus, tanquam unicè necessariam, tum Pastoribus, tum eorundem omnibus, studiosè auscultemus.

I. igitur, quid est Timor Domini? Respondet idem Vates regius: *Initium Sapientiae, Timor Domini.* Psal. 110. scilicet Sapientiae practicae, quae mores cujusque dirigit, juxta normam divinae Legis, honestatis, & virtutis. Est quoque initium justitiae, & perfectionis. Tertulliano & D. Thomae 2. 2. q. 19. a. 7. est *fundamentum Salutis.* S. Bernardo ferm. de 7. donis, est *custos virtutum.* Sicut, inquit, *securitas vel desidia mater est omnium delictorum; sic Timor Domini radix est & custos omnium virtutum.* Propriè autem Timor Domini est *virtus, quâ quis Deum timet offendere; ne vel incurrat poenam, vel amittat gloriam, vel in Creatoris labatur offensam.*

II. Quotuplex est Timor Domini? Triplex, servilis, initialis & filialis. I. Timor *servilis* est, quo quis timet Deum

um

um offendere, formidine pœnæ, ab eo infligendæ; de quo idem Vates coronatus: *Confige timore tuo carnes meas; à judiciis enim tuis timui.* Psal. 118. Atque ad hunc Timor mercenarius reducitur; quo quis spe præmii aut mercedis, à Deo promissæ, ab offensa Dei abstinet: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Psal. 118.

2. Est Timor *initialis*, priore perfectior, qui quasi duos habet oculos; unum quo respicit pœnam, alterum quo intuetur offensam & culpam; ut ait S. Laurentius Justinianus. *Servili timori,* inquit S. Bernardus serm. 4. ad Sor. *Succedit initialis, quando homo incipit facere bonum, propter dilectionem Dei, quod antea faciebat, propter timorem inferni.* Et hic Timor ex mente D. Thomæ l. c. non est servorum, nec mercenariorum, sed Filiorum incipientium & non perfectorum, quos paternus amor à culpa non revocat, nisi timor aliquis intercedat. 3. Est *timor filialis*, timor castus, &

& perfectus, quo quis timet offensam Dei, ex amore, ne displiceat, optimo Parenti: quemadmodum, ut exponit Cassianus coll 11. c. 13. Filius indulgentissimum Patrem, Frater Fratrem, amicus amicum, Conjugem Coniugem sollicito reveretur affectu. Hic autem est Timor Sanctorum: *Timete Dominum omnes Sancti eius. Psal. 32.* Et Timor reverentialis, qui perseverabit in Patria, quoad actum reverendi Deum, ut docet D. Thomas. 2. 2. q. 19. a. 11. Non verò quoad actum timendi separationem à Deo, qui à securitate æternæ Beatitudinis excluditur. *Timor Domini sanctus permanens in seculum seculi Psal. 18.*

III. Nosse & in prumptu habere decet Neoparochum motiva & incentiva Timoris Domini. quibus consideratis seipsum & populo propositis, eum à peccatis, velut froeno retrahat: quod inter millena peccandi pericula constitutis, summè est necessarium. Suggesterit eiusmodi considerationes S.

Lau-

Laurentius Justinianus in Ligno vitæ
c. 5. de Timore. S. Bernardus & alii SS.
Patres atque Ascetæ.

1. Est consideratio mortis certæ & incertæ; in qua angent præterita, angent præsentia, angent & terrebunt futura; quæ omnes mundi honores, carnis voluptates, atque divitias amaras reddent: In morte enim omnia relinquenda & fortassis brevi. *Stulte hæc nō te reperent à te animam tuam, & quæ parasti cuius erunt? Lu. 12. mille via lethi: ergo semper pave & cave, ac nunquã in peccato lethali obdormisce.*

2. Consideratio iudicii extremi, de quo Sophonias c. 1. *Dies illa, dies iræ, dies tribulationis & angustia, dies calamitatis & miserie, dies tenebrarum & caliginis, dies nebula & turbinis, dies tubæ & clangoris. Ubi omnia terribilia & horrore plenissima: terribilia signa, terribilis ignis sævitia, terribilis comparitio, hædorum separatio, delictorum examinatio, sententiæ pronuntiatio, & executio. ô quanta angustia! superius*

rius erit iratus iudex, inferius horrendum inferni chaos, à dextris peccata accusantia; à sinistris infinita dæmonia, trahentia ad supplicia: intus conscientia urens, foris mundus ardens. Et quò miser peccator fugiet? latere erit impossibile; apparere intolerabile. ò quis non horreat!

3. Consideratio Inferni, qui est verè terribilium omnium terribilissimum. In quo ignis inextinguibilis, vermis imortalis, fator intolerabilis, fames & sitis inexplicabilis, tenebræ palpabiles, socii terribiles, flagella cadentium, horrenda visio dæmonum, confusio peccatorum, desperatio omnium bonorum: & quod omnium formidabilissimum est, æternitas omnium tormentorum, *O regio dura & gravis! regio extimescenda! regio fugienda! terra oblivionis, terra afflictionis, terra miseriarum, in qua nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat! Totus tremo, atque horreo, ad memoriam istius regionis & concussa sunt omnia ossa mea.* Exclamat meritò S. Bernardus

Bernardus setm. de 5. region. & quis san-
na mentis non, vel ob peccata aliena?

4 Consideratio passionis Filii Dei
innocentis, ostendit, quantum jure ti-
meat scelerum reus ob propria: ex qua-
litate remedii cognoscitur vehemen-
tia languoris: cogita sputa, alapas, fla-
gella, spinas, mortem & crucem. fusus
est cruor medici & factus est medica-
mentum phreneticis: agnosce quàm gra-
via sint vulnera, propter quæ necesse
fuit Dominum Jesum vulnerari. *Si in
viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?*
Si hæc in filio, quid in mancipio? si hæc
in dilecto & morigero, quid in refre-
ctario, & toties rebeli?

5. Consideratio propriorum pecca-
torum. Si tantum timet, criminofus,
qui scit se reum unius criminis, cum
stat in conspectu, terreni Principis,
quantum timere debet conscius pluri-
morum delictorum, de examine Regis
æterni? Et si tantâ curâ pertimescitur
judicium pulveris; quantâ diligentia
cogitandum, quantâ sollicitudine
formi

formidandum iudicium tantæ majestatis?

6. Consideratio peccatorum alienorum: tanta enim hominum instabilitas, tanta facilitas, pereundi corpore & spiritu, quem non terrore completat? Certè nimium præceps est, qui transire contendit, ubi conspexit aliū cecidisse: vehementer effrenis est, cui non incutitur timor de alieno casu. Viri Sancti sibi non fidunt, iusti tremunt, miracula patrantes quandoq̄ corruunt. Aspice Religiosum illum, qui nudo pede prunas ardentes calcaverat, & turpiter cecidit. Intuere Heronem, qui quinquaginta annis sanctè transactis, foedè periit. Attende Jacobum eremicolam, paralyticos curantem, energumenos liberantem, aliisque signis fulgentem; miserè tamen præcipitatum; licet scelus, decennis poenitentia rigore, continuo que lacrymarum imbre, in sepulchro degens, eluerit. Ribad. p. 2. 28. Jan Vide Justinum ecstases & raptus passum & ex pia lectione toto

to corpore in aëra elevatum: qui tamen unico Eugenii IV. Pontificis alloquio, vanè fuit elatus, & ut ei S. Joan. Capistranus ingemiscens objecit, angelus accessit, diabolus recessit, & demum miserimè decessit. Wadingus in Chron. ad Annum 1445. Et tu non timebis, vix locato vitæ timorata fundamento? *Quid ergo facient tabulae si tremunt columnae? aut quomodo virgula stabunt immobilia, si hujus pavoris turbinè etiam cedri quatuntur?* S. Greg. L. 24. c. 7.

7. Consideratio propria fragilitatis, mutabilitatis, & ad omne malum pronitatis, quem non timore concutiat? quàm levis tentationis ventus te, ut folium, agitat? Unus intuitus, te ut Davidem, vel Samsonem, sternit: res vel levissima turbat: musca ad impatientiam trahit? millies cadis, millies resurgis; millies proponis, millies rescindis; millies confiteris, & millies recidis. Ô inconstantia! Verè igitur, verè nulla est sanctitas, si manum tuam Domine subtrahas: nulla juvat fortitudo si con-

servare desinas: nulla prodest sapientia, si
gubernare desistas: nulla secunda est castitas,
si eam non protegas: nulla propria prodest
custodia, si non adsit tua vigilantia! nam
relicti mergimur & perimus. Tho. Kép.
L. 3. c. 14. Et non metuemus?

8. Consideratio misericordiae Dei,
quam nobis exhibet in praesenti, indi-
cium est magnitudinis justitiae, quam
exhibebit in futuro: leuto enim gradu
ad vindictam sui, divina procedit ira:
at tarditatem supplicii, gravitate
compensat. *Altissimus enim patiens est*
redditor Eccl. 5. Patiens redditor dici-
tur, quia quos diu, ut convertantur, to-
lerat, non conversos durius clamat: &
quantò diutiùs expectat, ut emen-
dentur, tantò graviùs judicabit & ple-
ctet, si non corrigantur. Cogita in nu-
meros, igne, aqua, fulmine, veneno,
gladio, ruinâ, glande plumbeâ impro-
visò interèptos, aternisque suppliciis
addictos & nisi vitam malam emendes,
similia reformides.

9. Consideratio justitiae divinae ;
quem

quem non percellat? Si enim Angelis peccantibus Deus non pepercit, sed rudentibus Inferni detractos, in Tartarum tradidit cruciandos, & in iudicium magni Dei, aeternis vinculis sub caligine reser-
 vavit: quanto magis qui habitant domos luteas, & terrenum habent fundamen-
 tum, consumentur velut atinea? 2. Petri
 2. Cogita mundi universi cataclysmū, cogita sulphureum Sodomæ & Go-
 morrhæ incendium, cogita expulsum Paradiso Protoplastum: cogita hor-
 rendum sexcentorum aliorum suppli-
 cium, & expavesce.

10. Consideratio Omnipotentia divina: Timet homo, hominem fragi-
 lem, & non timebit omnipotentem? Timet mortalem sibi iratum, & im-
 mortalem omnium Monarcham non formidabit? Cui resistere nemo potest, quemque nullus potest effagere; Ego, inquit occidam, ego vivere faciam; per-
 cutiam & ego sanabo; & non est qui de manu mea possit eruere. Levabo in cœlū
 manū meā, & dicā: vivo ego in aeternū
 Deut.

Deut. 31. *Ultionem capiam, & non resistet mihi homo.* Isaia c. 47. *Et quis non timebit te Rex Gentium?*

11. Consideratio Sapientia divina, Si incredibilis temeritas est Rege ipso presente & spectante, rebellionem machinari; quæ erit audacia, quæ impudentia, idem facere, Deo omnia clarè intuente, cui nihil potest abscondi, qui est discretor cogitationum cordis? *Omnia uamque nuda & aperta sunt oculis eius, & non est ulla creatura invisibilis in conspectu eius?* Heb. 4. ac proinde, an non magna nobis indicta est probitatis necessitas, cum agamus coram oculis Iudicis cuncta cernentis?

12. Consideratio erit, formidabilis prorsus iudiciorum divinatorum abyssi; quæ quidem scrupulosis non serviet, ac presumptuosis & laxioribus conscientis admodum existet salutaris: præsertim Curatis, si qui sint, quod absit, qui dicunt & non faciunt: suos verbo, ab inferno retrahunt, ipsimet vero, peccata peccatis accumulando indices magnis

magnis passibus illuc properant. His inquam & frænum & calcar erit; frænum quod à malo retrahat, calcar quod in bonum segnes impellat: quamvis è millibus, optem nec unicum esse, cui id sit necessarium.

Frænum Peccatorum

Seu consideratio abyssi judiciorum divinatorum inscrutabilis, serviens, ut *cum metu & tremore salutem suam operentur.* ad

Philip. .2. 12.

Age anima mea, in quiete & silentio judiciorum divinatorum circa te abyssum serio perpende. Vel Deus te cum Iacob dilexit & ad vitam æternam prædestinavit; vel cum Esau odio habuit, & post prævisa peccata tua, te reprobavit: alterutrum tibi certum est: cum verò neutrum determinatè noveris; an non pavebis? Nescis, homo, nescis utrum odio an amore, in præsentem dignus sis; utrum frumentum invehendum in cœleste horreum; an verò palea conjicienda in ignem æternum, & non pavebis? Decrevit Deus certum vitæ tuæ terminum, & fixum mortis momentum

mentum

mentum, quod præterire non poteris; & ultra quod, vitam nec ad punctum temporis extends; cum verò illud ignores; an non pavebis? Determinavit Deus numerum gratiarum, tibi concedarum, quibus si usus non fueris, earum filum præscindet, & fortè nullam obtinebis aliam in æternum; & non pavebis? Definivit Deus numerum certum peccatorum tuorum, liberè à te committendorum; quo completo, nullum aliud committes; sed certò morieris; cum verò numerum hunc ignores, an non pavebis, & vel unicum lethale peccatum prioribus addere timebis? Novit Deus per scientiam Conditionatorum si hoc vel illud officium suscipias, hunc vel illum locum adeas, te lapsum & periturum in æternum: hæc Deus scit; tu verò ignoras: & non pavebis?

Scis Curator animarum, quòd segniter hætenus pro ovibus tuis oraveris; segniter Sacramenta administraveris; segniter ad conciones te præparaveris
fruct-

fructumque magnum, aliàs referendum, fœcordiã tuã impedieris: sed nescis, an non ideo aliquib⁹ æternæ damnationis causã extiteris, & non pavebis? Scis evidenter, quòd multa peccata commiseris; num verò illa tibi remissa fuerint, ignoras; quia nescis, an vel unicum actum supernaturalem, ad remissionem peccatorum omnino necessarium, totã vitã elicueris; & non pavebis? Nescis utrum in fide, gratia, statu sis usque in finem perseveraturus; & an non tandem absconditis Diaboli callidissimi laqueis, sis capiendus, justòque Dei iudicio condemnandus; & non pavebis?

Deus in Angelis suis reperit pravitatem, columnæque cœli ceciderunt, & corruerunt in abyssum: quid fiet homini, tibi inquam, ad omne malum proclivi minimo tentationis vento, instar arundinis agitabili; & non pavebis? *Si justus vix salvabitur,* ut loquitur S. Petrus; ubi tu peccator

H

pare-

parebis? Viri innocentiam & sanctitate conspicui contremiscunt; & tu non pavebis? Hieronymus in eremo degens, lacrymis contritionis madens, saxo pectus percutiens, doctrinam, virtute & omni bonorum operum genere Ecclesiam illustrans pavet, & tubam illam supremam, *surgite mortui, venite ad iudicium* auribus suis insonantem, assidue sibi audire videtur; & tu non pavebis? Hilarion anachoreta sanctus clamat: *Egredere anima mea, egredere: Septuaginta annis servivisti Deo, & egredi times?* & tu Pastor quidem & Sacerdos; sed inter mundanos degens, & vitam illis vix dissimilem agens, non pavebis? *Job vir simplex & rectus, ac timens Deum & recedens a malo, ait c. 31. 23. semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus ejus ferre non potui: & tu qui toties ad malum accedis, & velut aquam iniquitatem bibis, absque pavore eris? tumentes ira Dei fluctus non pertimesces? majestatis immen-*

immen-

immensa pondus, ut festucam reputabis & non pavebis?

Time, igitur, anima mea, time Deum omnipotentem & terribilem in consiliis super Filios hominum; qui postquam occiderit, potest corpus & animam mittere in gehennam. Ut autem timeas, hæc sit crebra tua considerationis materies, illam tracta in exercitiis annuis, illam trutinam in meditationibus quotidianis, ex illa non nihil concionibus insperge diebus Dominicis & festivis; illam ut penetres; precibus & suspiriis postula à benignitate supremi numinis: atque ubi timorem servilem cordi tuo altè impresseris, ad initialem & filialem progredere, eodémque ordine illum, animabus tibi subjectis inculcare stude, tanquam initium, medium & finem sapientiæ. Timor hic triplex, crimina fugabit: nam *Timor Domini expellit peccatum*: Eccl. 1. perfectam operabitur justitiam: *qui enim sine timore est, non potest justificari.* l. c. mo-

172 *De Charitate Pastoris,*
res corrigit, virtutes inseret, servabit
innocentiam, & perpetuam tribuet
felicitatē *Beatus* siquidē *vir, qui timet*
Dominum, in mandatis ejus volet nimis:
gloria & divitia in domo ejus, & justitia
ejus manet in seculum seculi. Psal. III.

C A P U T XIII.

De Charitate Pastoris erga Deum.

I. **Q**UOD est sol inter sidera, inter
elementa ignis, aurum inter
metalla; hoc inter virtutes, est, cha-
ritas, omnium Regina. Hæc chari-
tas erga Deum, est virtus, quâ ipsum
non ob timorem pœnæ, nec ob spem
præmii; sed propter seipsum & ob
suam bonitatem diligimus: *Charitas*
ait S. Augustinus de morib. Eccles. c.
II. *Est virtus conjungens nos Deo, quâ*
ipsum diligimus, propter seipsum. Ipse
est motivum amoris: Fomes & in-
centivum ignis dilectionis est Bonum,
Deus autem est summum Bonum &
omne Bonum: Ego ostendam tibi o-
mne bonum. Exodi 33, 19. Ipse est
bonum memoriæ; quoniam est ejus
summa

summa tranquillitas: ipse est bonum
intellectus; quoniam universa veri-
tas: ipse bonum voluntatis; quo-
niam omnis ejus satietas: Si bonum
tuum reputas vitam: *in ipso vivimus
movemur & sumus*, Actor. 17, 28. Si
bonum tuum salutem existimas: *Do-
minus illuminatio & salus tua* Pl. 126.
qui factus est tibi in salutem: *Ipsa ho-
nor tuus, ipse divitia, & nihil est dulce,
nihil delectabile, nihil appetibile, quod
non in eo abundè possideas. Ipse est,
infinita & summa potentia, sapien-
tia, bonitas, sanctitas, justitia, pul-
chritudo dulcedo, & beatitudo: ipse
est infinite supra omnem perfectio-
nem, excellentiam & magnitudi-
nem à mente creata conceptibilem,
elevatus, supra omnem potentiam,
omnem sapientiam, omnem intelle-
ctum, omnem lucem, omnem pul-
chritudinem, omnem sanctitatem, bo-
nitatem justitiam, beatitudinem &
gloriam. O quale objectum amoris!
quidnam esse potest dilectione nostrâ*

dignius? quid indignius, præ hoc infinito Bonitatis oceano, amari guttulam; arenulam orbi immenso præferri? ut tacitus præteream summa, maxima & infinita beneficia; quæ ex hoc benignitatis pelago in nos promanarunt.

II. Hunc Deum, hoc summum & omne Bonum, omnes Creaturæ rationales amandi capaces, diligere tenentur: *Dileges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Matth. 22. Præ reliquis tamen amplius & ad perfectiorem charitatem obligantur, animarum Pastores: quibus, in Apostolis suis Pastorum principibus, speciatim in Evangelio Christus mandavit: *Ut manerent in dilectione sua, sicut ipse in Patris sui dilectione manebat: cum eos jam non servos, sed amicos suos nuncupavit.* Joan. 15. ac proinde verum perfectumque amicitiaæ amorem, ab ipsis in se rependendum expetiit. Unde & cum Petro oves & agnos suos pascendos commissurus erat, antequam rogavit:

gavit: *Petre amas me? diligis me plus his?* Joan. 21. Et meritò sanè: cùm enim Pastores animarum, ex speciali præ aliis dilectione, ad ministerii sui honorem, ad curam animarum, ad dignitatem sublimissimã atque angelicis spiritibus denegatam, Sacramenta administrandi à peccatis absolven- di, corpus Christi consecrandi extulerit: eos præ aliis fidelibus, longè ardentiori amore, Deum complecti par est.

Quare, ut huic æquissima Dei voluntati, & obligationi suæ Pastor respondeat, hoc Domini præceptum pro viribus adimplere conetur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua, Deut. 6. Ille, ut exponit S. Laurentius Justinianus in ligno vitæ de Char. cap. 9. ex toto corde diligit, qui eum sapienter diligit, totã animã diligit, qui illum dulciter diligit: totã virtute diligit, qui illum fortiter diligit.*

III. Diligat Pastor Deum *ex toto corde suo*, cor non partiendo, in ordinato amore creaturarum; sed ab omnibus creatis affectum abstrahat, eumque totum in Deum transferat, ita *diliget sapienter*: Examine tigitur, num quid reperiat in mundo, quod ejus amorem dividat; num erga rem aut personam ullam immodico affectu feratur: memineritque illius dicti Evangelici: *Qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus: & qui non odit Patrem & Matrem, & Fratrem & Sororem, adhuc autem & animam suam; non potest meus esse discipulus.* Id est, qui affectum suum ab illis non abstrahit, paratus omnia relinquere & separari ab omnibus, si divinus honor & amor id exigat: omnia etiam propria commoda, desideria, lucra, propriamque voluntatem abnegare, non potest meus esse discipulus, & perfectus Jesu Christi minister & servus.

IV. Diligat Deum *ex tota anima,*
id

id est, dulciter, tenerè, intimè, sum-
mè appretiativè, eum omnibus cha-
ris, velut, Patrem, Sponsum, Ami-
cum, præligendo & sine ulla com-
paratione præferendo, divitias, ho-
nores & voluptates mundi, ut quis-
quillas, & stercora, præ ipso, reputan-
do. Deinde ejus præcepta, consilia,
desideria, & omnia ea, quæ Deo pla-
cent, atque ad gloriam & gustum ejus
faciunt, pluris æstimando, quàm pro-
prium vitam, sanitatem, felicitatem;
omnes divitias, omnia commoda, o-
mnes dignitates & honores. Denique
tanquam in re dulcedine plenâ, assi-
duè se actibus amoris divini occupet,
nullum numerum, nullam mensuram
præscribendo; sed affectibus, suavissi-
mis, creberrimis & intèssimis indefi-
nenter se occupando: dum horas psal-
lit, dum preces fundit, dum sidera
spectat, dum hortum & prata peram-
bulat, dum sacramenta administrat;
sed præcipuè dum ad aram litat: cum
enim in hoc divinissimo Sacrificio

H s

ipse

ipse Christus Dominus, tanquam victimam charitatis, inter purissimi, flagrantissimique amoris sui flammam, tum super altari, tum in ipsius Sacerdotis ac Pastoris celebrantis pectore mysticè consumat, quomodo fieri potest, ut Pastor in sinu suo ignem illum divinum gestet, nec ullum ardorem persentiat, nisi cor glacie frigidissimâ congeletur?

V. Diligat Deum *ex tota virtute*, id est, *fortiter*: eumque amorem, strenuè laborando pro Dei gloria, & multa patièdo demonstrat: Ut verè queat cum Apostolo dicere, Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia? fames an nuditas? an persecutio, an periculum, an gladius?* Quantò minùs levis aliqua difficultas, contradictio aut repugnantia. Nihil est tam horridum, tamque tremendum, quod non superent, qui amore divino sunt incensi, ait S. Chrysostomus. Homil. 18. de amore Dei.

Hac verò dilectio, à Curatore animarum

marum

marum opere ipso est demonstranda. *Probatio siquidem dilectionis, exhibitio est operis*, inquit S. Gregorius, Hom. 30. in Evangelia. Si igitur Pastor explorare cupiat, num verè Deum diligat; examinet, num fideliter servet, 1. Divina præcepta. 2. Ecclesiæ. 3. Muneri suo annexa, 4. Ecclesiasticas, canonicasque sanctiones, circa habitum, tonsuram clericalem, bonorum Ecclesiasticorum dispensationem, residuum, aliâque à se, ex præscripto Ecclesiæ, observanda. Item an sollicitè devitet, quæ sacri canones præscribunt devitanda; ut, aleas, luxus, comædorum spectacula, choreas, symposia, tabernas, suspectas conversationes, negotiorum secularium procurationes, prava exempla, scandala, aliâque similia. Hæc enim omnia exigit à Pastore Deus: *Qui habet mandata mea & servat ea, ille est qui diligit me.* Joan. 15.

Nec solùm dilectionem Dei, observatione legum, verùm etiam, quo-

180 De charitate Pastoris
rumcunque operum Deo placenti-
um executione, ostendat: Nunquam
enim, amor Dei otiosus est, ait S. Grego-
rius Hom. 56. in Evangelia. Opera-
tur enim magna, si est: Si autem operari
renuit, amor non est. Imò ut docet S.
Thomas opusc. 61. Divinus ille amor
operatur magna & reputat parva, ope-
ratur multa & reputat pauca: opera-
tur diu & reputat breve. Atque hoc est
diligere fortiter:

VI. Media obtinendæ charitatis
divinæ, sunt sequentia.

1. Medium est cognitio Dei clara
& illustris: Nosse enim te, consummata
justitia est, & scire justitiam & virtutem
tuam, radix est immortalitatis. Sap. 15.
Ex hac cognitione sublimi & eximia
velut ex luce calor, ex vita motus,
ex visione pulchri, amor nascitur,
ita ex ea, amor Dei, contem-
ptus mundi, omnis justitia & perfe-
ctio exoritur. Ob hoc enim ait S. Au-
gustinus in soliloquiis c. 1. Non te di-
ligit anima mea, Domine, si te non dili-
git,

git, quia te non cognoscit. Ignoti nulla
 cupido. Hanc autem cognitionem
 illustrem obtinebis identidem suspi-
 rando & petendo: *Noverim me, no-
 verim te*: 2. meditando de Deo, ejus-
 que infinitis attributis & perfectioni-
 bus ex P. de ponte l. 6. medit. aliisve.
 3. Libros legendo. v. g. Lessium de at-
 tributis divinis: de 50. nominibus
 Dei: Saint jure de cognitione & a-
 more Dei & similes.

2. Medium est plurimos elicere a-
 ctus & affectus amoris, eosq; tanquam
 ignita jacula, suspirando & amando
 in Deum ejaculari, nunc desiderando,
 nunc complacendo, nunc summè ap-
 pretiando, nunc gaudendo, nunc of-
 ferendo, nunc congratulando, nunc
 laudando, nunc resignando; ejusmo-
 di affectuum specimina vide in 2. p.
 hujus Libri in præparatione secunda
 post sacrum. Per frequentatos actus,
 nascitur habitus, seu virtus chari-
 tatis.

3. Medium, cum affectibus inter-

nis opera externa charitatis erga Deum & proximum conjungendo, de quibus paulò antè diximus. Disponit ac præit, imò & charitatem comitatur & sequitur, chorus aliarum virtutum : ut sunt puritas conscientia, humilitas, patientia, fides, spes, timor, religio, aliæque de quibus partim jam dictum, partim paulò post dicetur, & quæ tanquam pedisequæ charitatem veluti Reginam suam, tum præeunt, tum subsequuntur.

C A P U T XIV.

De Charitate Pastoris erga Proximum.

Charitas erga proximum est virtus, quâ omnes proximos tum amicos, tum inimicos diligimus propter Deum. Diligere autem propter Deum, nihil est aliud, quàm amare illos, quatenus participant in se aliquid Dei, & amare illos, ut in Deo sunt, & ut bona gratiæ & gloriæ adipiscantur; & quia Deus vult ac præcipit, ut eos amore prosequamur.

I. Præ-

I. Præcipuè autem homo à Deo participat, quòd fit imago Dei, tum naturalis, tum supernaturalis, ideoq; in Deo tanquam in causa, in idea & prototypo est diligendus. In primis est imago naturalis Dei, quæ consistit in mente hominis, & quod fit cum Deo & Angelo in summo gradu rerum, scilicet intelligentium. Atque ex eo eximia dotes sequuntur. 1. Quòd hominis anima incorporea sit & individua, uti est ipse Deus: & in hoc imaginem Dei collocat S. Augustinus. 2. Quod sit æterna & immortalis: In hoc eam collocat Origines. 3. Quòd fit memoriâ, intellectu & voluntate prædita: in hoc collocat S. Damascenus. 4. Quòd sit liberi arbitrii: in hoc collocat S. Ambrosius. 5. Quòd fit capax sapientiæ, virtutis, gratiæ, beatitudinis, visionis Dei, omnisque boni: in hac capacitate imaginem Dei collocat S. Nyssenus. 6. Quòd cunctis animantibus, suâ potestate præsit & dominetur: In hoc collocat S. Bas-

S. Bas-

S. Basilius. 7. Homo est quasi omnipotens instar Dei, quia multa arte, & omnia mente suâ efformare potest & comprehendere. 8. Est finis creaturarum mundanarum, uti earundem ultimus finis est Deus. 9. Sicut Deus regit mundum, & est totus in toto mundo, & totus in qualibet parte; ita anima regit corpus, & est tota in toto, & tota in qualibet ejus parte. 10. Sicut Deus Pater per intellectum se cognoscens, producit Verbum, puta Filium, & eum amando, producit Spiritum Sanctum: ita homo intelligendo se, producit in mente sua verbum intelligibile, sibi simile, atque inde procedit involante ejus amor. Sic homo clarè repræsentat SS. Trinitatem, ita S. Augustinus l. 10. de Trin. c. 10. & l. 14. c. 11.

Hæc est imago Dei naturalis, quæ peccato non perditur, utpote naturæ indelebiliter impressa. Imago Dei altera est supernaturalis (quæ peccato perditur, gratiâ & justificatione reparatur)

ratur) & sita est in gratia & justificatione hominis, quâ ipse divinæ sit consors naturæ, quæ que in gloria & vita æterna firmabitur & perficietur.

Similes ei erinus: quia videbimus eum sicuti est: ait S. Joannes, veluti ferrum ignitum, igui assimilatur, ejusq; imaginem simillimam refert.

Vides, ô Pastor, quàm homo sit excellens imago Dei, & quàm præstans objectum amoris? Et quis talem, tamque nobilem imaginem Dei non diligat? aut quis odisse poterit? Qui imaginem Principis lacerat, & inhonorat, Principem ipsum despicit.

II. Pastor hanc Dei imaginem, seu proximum suum diligat propter Deum, propter Dei similitudinem, propter Dei voluntatem, propter Dei beneplacitum, propter Dei amorem, Deum in proximo amore completens. *Si quis quemlibet amet; sed propter Deum non amet, charitatem non habet; sed habere se putat.* ait S. Gregorius Homil. 8. in Evang. Sanctus verò

verò Bernardus inquit L. de dilig. Deo. *Deum in causa habere necesse est, alioquin proximum purè diligere non potest, qui in Deo non diligit.* Non igitur propter formam & pulchritudinem corporis, non propter divitias & facultates, non propter lucrum & commodum proprium, aut quidquam aliud temporale aut terrenum, sed propter Deum o. m. proximos suos. & in primis curæ suæ à Deo commissos Pastor diligit.

III. Proponat sibi in amore proximi, exemplum Christi, cujus vicarium & ministrum agit; eumque imitari studeat. Christi autem amor fuit 1. *Gratuitus. In hoc est charitas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos. 1. Joan. 4. Si autem Deus sic dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere gratis: quia si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis, nonne & Ethnici hoc faciunt? Matth. 5. Impendendum est igitur à Pastore auxilium, & charita-*
tis

tis subsidium iis, à quibus nihil sperandum, ut pauperibus, imbecillibus, infirmis, rudibus, licet nullum etiam grati animi testimonium reddatur, sed potius plurimum oneris & incommodi reportetur. *Ego autem libentissime impendā & superimpendar ipse pro animabus vestris, licet plus vos diligens, minus diligar.* Ait Apostolus 2. Cor. 12. 15. - 2. Christi amor fuit *rectus*, non propter suam, sed proximi utilitatem. Dilectio, quæ munere glutinatur, eo suspensio dissolvitur. Amicitia solùm innixa prosperis, ruit in adversis. 3. Christi amor fuit *discretus*, personas amabat, vitia persequabatur. 4. Fuit *vehemens*: Quoniam ipse pro nobis animam suam posuit, 1. Joan. 4. Cujus imitatione: *Et nos debemus animas pro fratribus ponere: adversaque tolerare.* 5. Fuit *fructuosus*, multa nobis commoda & dona adferens. *Et nos diligamus, non verbo nec linguâ, sed opere & veritate.* 1. Joan. 3. - 6. Fuit *perseverans*, nam: *cum*

cum dilexisset suos, in finem dilexit eos.
Joan. 13. Et nos diligamus, præfer-
tim ægros, & moribandos usque in fi-
nem, nec deseramus, usque ad mor-
tem.

IV. Proponat sibi in amore proxi-
mi, exemplum sui ipsius: Juxta Domini
mandatum: *Diliges proximum tuum
sicut te ipsum.* Deut. 6. Ut scilicet hoc
proximo facias, quod tibi vis fieri;
quod autem tibi non vis fieri, ei non
facias: sive ut eum beneficiorum ex-
hibitione foveas & nullam malitiam læ-
das. Non dixit, ait S. Laurentius Ju-
stinianus in ligno vitæ de amore c.
17. *Diliges proximum, plus quam te-
ipsum, sed sicut te ipsum.* Videtur enim
plus quam seipsum proximum velle
diligere; qui curationi propriæ non
sufficiens, curam aliorum cupit assu-
mere. Quare tu homo (Tu Episco-
pe, Prælate, Paroche) quisquis talis
es, cui firma sanis propria salus non-
dum est, cui charitas adhuc aut nulla
est, aut adeo tenera, atque arundinea;

ut

ut omni flatui cedat, omni credat spiritui, omni circumferatur doctrinae vento: cui tanta est charitas, ut ultra mandatū quidem diligas proximum, plus quàm teipsum; & rursus tantilla, ut contra mandatum, favore liquescat, pavore deficiat, perturbetur tristitiâ, avaritiâ trahatur. pertrahatur ambitione, suspicionibus inquietetur, convitiis exagitetur, curis evisceretur, honoribus tumeat, livore tabescat. Tu inquam in propriis teipsum sentiens minùs idoneum ad correctionem, quâ nunc clementiâ (quæso) aliena curare aut ambis aut acquiescis? Audi quid dicat de tali charitate scriptura: Noli esse nimium justus. Eccles. 7 Et Dominus: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, anima verò sua detrimentum pariatur?* Matth. 16 Sufficit qui ejusmodi est (Pastor si proximum sicut seipsum diligat, ne tumore se conterat; ne proximum juvando, se deserat, ne alios erigens cadat. Haftenus verè

verè

verè & præclarè Sanctus Venetorum
Patriarcha.

V. Proponat Pastor sibi *exemplum*
membrorum corporis humani, & in di-
lectione proximi sui, præsertim Pa-
rochianorum, imitetur. Nam 1. Mem-
brum unum alteri non invidet. licet
non habeat idem officium: *non omnia*
eundem actum habent membra. Rom.
12. - 2. Unum membrum non sibi ap-
propriat officium; sed omnibus illud
gratis communicat. *Sic & nos multi*
unum corpus sumus in Christo, singuli
alter alterius membra. 1. c. - 3. Unum
membrum ab alio læsum, non se vin-
dicat, sic & nos: *nulli malum pro malo*
reddentes 1. c. - 4. Membra infirmio-
ra, abundantius honorantur: Sic &
nos, pauperes, rusticos, cives vili-
bus opificiis addictos, despiciere non
oportet: Sed *honore invicem præveni-*
entes. 1. c. 5. Siquid patitur unum
membrum, compatiuntur omnia
membra, si gloriatur unum mem-
brum, congaudent cætera membra.

Ita

Ita Pastores animarum decet, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.

6. Unum membrum reputat sibi fieri, quod alteri praestatur, sive bonum sive malum. Unde Dominus. *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Matth 25. 7. Unum membrum laesioni se exponit pro alio. 8. Unum membrum timet ab alio separari: nihil magis timendum, quam separari à Christo capite, & à Christi corpore, sive in Ecclesia militante, sive in triumphante.

VI. Proponat sibi Pastor in amore *exemplum Patris & Matris*: ut enim c. i. diximus, in Parochia sua, instar patris & matris est. Igitur tanquam pater provideat, tanquam mater suos filios foveat: tanquam pater corripiat, tanquam mater consoletur: rudibus & pueris se accomodet, tanquam cum filiolis vocem mutet, ad eorum captum se demittat, similia & parabolas adhibeat, & cum Apostolo, *omnibus omnia fiat. Discant* (ait ad Supe-

Suppe-

Superiores & Pastores D. Augustinus in reg.) qui præfunt, subditorum Patres se esse, non Dominos; studere amari, magis, quàm timeri, & si severitate interdum opus sit, paterna sit, non tyrannica. Matres sint fovendo, patres corripiendo, suspendant verbera, & producant verba, pectoralate pinguescant, non typhos, superbia turgeant: *Charitas enim non inflatur, non est ambitiosa, non querit qua sua sunt: 1. Cor 13. Et cum præest, subditorum bonum, suo præponit, capiens formam ab ipso Charitatis Magistro, qui ait: Non veni ministrari, sed ministrare & animam dare in redemptionem pro multis. Matth. 20* Hunc ait S. Laurentius Justinianus l. c. qui præest, (parochia) imitetur, tradens se ipsum pro grege; sed & qui subest ipsum sequatur, qui venit non ut suam, sed ut patris faceret voluntatem. Nec retrahat ipsum ingratitude & tenacitas suorum: Una mater multas alit proles, multæ proles, sæpe nec unam matrem.

trem. Abundant & vincunt charitate materna viscera. Ita & pastoris animarum.

VII. Denique statuat sibi crebrò ob oculos *exemplum Pastoris*, qui verè Pastor & non mercenarius est. Quantâ enim curâ is oves suas custodit? quantâ charitate educit ad pascua, & reducit? quantâ solitudine meliora, fertiliorâque prata deterioribus præligit? quantâ vigilantia amissas quarit, erroneas reducit, scabie laborantes curat, contractas alligat, infirmis compatitur, sanis & strenuè pabulantibus congratulatur? denique quantâ fortitudine lupos arcer, & animam suam dat pro ovibus? Hanc charitatem & curam, Christi Domini, sui ipsius, membrorum corporis, Patris ac Matris, ac demum Pastoris, imitari conetur Parochus: quod si fecerit, erit verè ovium suarum Pastor bonus; erit suorum in Christo Filiorum Pater & Mater amabilis; erit Christi Domini imitator, vicarius &

servus fidelis & aliquando audiet à
Pastorum Principe: *Euge serve bone &
fidelis, quia super pauca fuisti fidelis;
super multa te constituam; Intra in gau-
dium Domini tui.* Matth. 25. 21.

C A P U T XV.

De Religione Pastoris.

Post virtutes Theologicas princi-
pem locum sibi vindicat Religio,
quæ est virtus, quâ Deo tanquam o-
mnium Creatori ac Domino, debi-
tum cultum & honorem exhibemus:
atque hæc in Pastorem animarum præ-
cipuè cadit: ideo enim à Deo vocatus,
ordinatus, à plebe segregatus, Deo q;
totus consecratus est; tum ut ipse Nu-
men supremum, per sacrificia, Sacra-
menta, officia divina ac preces colat;
tum ut gregi suo Religionis Magister
& Doctor sit, eumque ad colendum
Altissimum deducat. *Tu eris populo, in
his que ad Deum pertinent.* Exodi 4. 16.

Hæc autem duplicis generis sunt,
interna & externa.

Interna

Interna sunt adorationes spirituales, orationes, obsecrationes, alii que affectus pii erga Deum: externa verò sunt adorationes, corporis gestibus exhibitæ, genuflexiones, psalmodiæ, sacrificia, oblationes, aliaque cæremonia: in quibus omnibus Pastor gregem debet præcedere: *Ante eas vadit, & oves illum sequuntur.* Ut autem id præstet meliùs. Tria eidem sunt necessaria, scire nimirum Religionis motiva & incitamenta, ejusdem officia debitè exercere, & abolere detrimta

I. Ut omnia Religionis exercitia, cum debita modestia, reverentia, & devotione interna atque externa peragat: ante omnia summam concipiat æstimationem, Divinæ illius Majestatis, coram quo vel angelici spiritus tremunt: deinde etiam rerum divinarum, nec non meritorum, officiorum, sanctitatis & miserationis erga nos Jesu Christi Domini nostri, virtutum quoque B. Virginis, & Sancto-
I 2 rum,

rum, ac necessitatis patrocini ipsorum. Illam verò summam æstimationem comparabit sibi Pastor ex meditatione & consideratione Dei, ejus attributorum, & infinitarum perfectionum, aliarumque rerum divinarum, deinde ex lectione Librorum asceticorum, ac denique ex oratione & petitione frequenti, quâ omnia dona cœlestia comparantur.

Quem enim ad maximam æstimationem, reverentiam, cultum & sacrum horrorem non excitet, seria & profunda meditatio, in qua consideretur. 1. Summa Dei excellentia, immensa Potentia, Bonitas, Sanctitas, Majestas, cui omnis honor debetur. 2. Obligatio & subjectio nostra, qui quanti quanti sumus, Dei sumus, ejus creaturæ sumus, mille titulis devinctæ, ad Creatorem nostrum colendum, venerandum, omnemque vitam in ejus cultu insumendum. 3. Ratio finis: Deus enim est finis noster: *Primus & novissimus,*
prim-

principium & finis Apoc. 2 ad quem colendum creati sumus, aliàs sine nostro frustrandi. 4. Dei jussio & præceptum, quo ipsi, & nulli alteri cultum patriæ exhibere jubemur. Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies. 5. Redemptio nostra: Empti sumus à Deo pretio magno 1. Corinth. 6. Nempe sanguine Filii ejus; unde ejus mancipia & servi sumus. Quanta igitur ingratitude, malitia & culpa si servus emptus Domino suo non serviat, nec cultum debitum exhibeat?

II. Ejusmodi magnâ Dei & rerum divinarum, ac mysteriorum arcanorum astimatione conceptâ: Pastor sacrificia, sacramentorum administrationes, psalmodias, comprecationes, & reliqua devotionis officia cum magna externa & interna reverentia, pietate ac gravitate morum, ac gestuum decentiâ obeat. Missæ in primis ceremonias, non properè, non tumultuariè aut inconciennè, mimorum & gesticulatorum more peragat: ac

proinde Neoparochus aut Neomyſta, antequam primitias celebret, ab aliquo in his accurato, ſe inſtruendum curet. Cogitet omnia hinc eſſe, myſtica, ſublimia, cœleſtia & divina; cogitet Deum infinitæ majeſtatis præſentem eſſe & primarium offerentem, cujus ipſe vicarium agat. Cogitet innumerabilium Angelorum, præ ſacro horrore contremiſcentium, venerati- onem & reverentiam. Denique obſervet ea, quæ infra, p. 2. de ſacrificio miſſæ & Sacramentorum aliorum ad- miniſtratione, adducuntur.

III. Defectus Religionis, pro vi- ribus abolere nitatur: & quidem

1. Parochianis ſuis, in concionibus & catechiſmis, magnam, quam ipſe antè concepit, de rebus divinis, aſſi- mationem inſtillet: & ſacra, à profa- nis, quanto diſtint intervallo, edo- ceat.

2. Hörtetur ſuos, ut dies feſtoſe ex- actè obſervent, à ſervilibus operibus abſtineant, eòſque non ludendo, po- tando,

tando, saltando, otiano; sed piis exercitiis impendant.

3. Laboret, ut è templis proscribatur otiosa garrulitas, colloquia, & negotia profana: unde nec ipse coperto capite, per templum ambulet, nec inter cantandum fabulas aut sermones misceat.

4. Non toleret in templo & parietibus ejus, sordes, aranearum telas, aut hirundinum nidos, aliáque quæ illud stabulo haud absimile reddant: quomodo enim in hujusmodi templo subditi, sacro horrore perfusi stabunt, Deumque adorabunt?

5. Curet, ut vestes sacerdotales non sint fordida, aut lacera; paramenta, panni, mappæ, corporalia, non ita maculata & foeda, ut naribus emungèdis ea adhibere horrore foret: quod in diversis templis, in itinere, aliquando expertus sum.

6. Sacra Divorum lipsana non servantur in cistis, à tineis corrosis, nec prostent in altaribus, sine cultu, sine

ornatu, sine lumine ; ut vel tantillum, à squalidis officum plebejorum receptaculis distingui valeant.

7. Barones & Nobiles doceat, religionis & æstimationis divinorum defectum esse, si in arcibus eorum, mensæ, scyphis, salinis, aliisque vasis argenteis redundant; ad sacrificium verò missæ tremendum, non aliû nisi stanneum calicem utendum præbeant: quod aliquando, contingere, docuit experientia.

8. Pastorem in supplicationibus publicis, nunc cum hoc, nunc cum illo garrere, aut ridere, instar cujusdam plebeji, penitus indecens est.

9. Defectus denique culpabilis est, ad sacrificium missæ hostias, nimis vetustas, aut cariosas; & vinum adeò fugiens, mucidum & acidum adhibere, ut meritò scrupulus moveatur, num apta sit sacrificio materia. Item defectus est religionis, trinum signum ad salutationem angelicam intermittere, indulgentias nihili facere, nec pro-

promulgare, ante & post sumptum cibum, preces non fundere; ut plures alios tacitus præteream.

Quare amans Religionis Pastor ista devitet & in omnibus religionem concernentibus sit: *Curvus Israël & auriga ejus. 4. Reg. 2.* Quod si sedulo præstiterit, rem Deo longè gratissimam fecerit, & magnum in cælo præmium consequetur: Scriptum est enim: *Quicumq; glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. 1. Reg. 2, 30.*

C A P U T XVI.

De Prudentia Pastoris.

PRudentia & discretionis virtus, quàm animarum Pastori necessaria sit, tum ut propriam, tum ut centenas aut millenas sibi commissas animas rectè gubernet, quis nisi prorsus cæcutiat, non perspicit? Quemadmodum olim Sacerdos, ita nunc Pastor, ut dicitur Deuteron. 17 debet discernere *inter lepram, & leprã, inter sanguinem*

guinem & sanguinem, inter causam & causam, inter peccatum & peccatum; & quâ id poterit absque prudentia? Debet Pastor, ut Concilium Tridentinum præscribit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, quantum spiritus & prudentia suggesserit, salutare & convenientes satisfactiones injungere; & quâ id poterit absque prudentia?

Debet Pastor, tanquam Angelus Domini, cujus labia custodiant scientiam, & à cujus ore fideles veritatem requirant, nosse, in doctrina morum & fidei, separare pretiosum à vili, verum à falso, corruptum à sano, heterodoxum ab orthodoxo, justum ab injusto, & quâ id poterit absque vera & evangelica prudentia? Debet Pastor, ut ait S. Laurentius Justinianus *Ligni vitæ c. i. de prud. non solum seipsum; sed omnes quoque sibi commissos instruere ac docere &c. at quænam illa? vitare noxia, appetere salubria, diligere honesta, vitare prohibita, operari recta, spernere terrena,*

terrena, & investigare caelestia. Et qui
id poterit absque discretionem & pru-
dentia? Si caecus caeco ducatum praes-
tet, nonne ambo in foveam cadent?
Matth. 18.

Debet Pastor seipsum & oves suas
à technis, fraudibus & decipiulis Dia-
boli praecavere; qui diversimodè a-
nimas decipit; nunc nimio zelo, nunc
callidâ suggestionem, nunc palliatâ san-
ctitate, aliquando inordinatâ affe-
ctionem, quandoque blandis, quando-
que asperis; verbo mille laqueos in-
cautis tendit: uniuscujusque mores
& vitia examinat, illaque objicit,
quibus mentem illorum faciliùs in-
clinari novit. Blandis & lætis su-
perbiam & vanam gloriam; asperis
verò mentibus, iram, superbiam, cru-
delitatem proponit: quæ omnia Pa-
stor debet ad nihilum redigere. At
qui id poterit absque scientia, discre-
tione & prudentia? Ex quibus o-
mnibus luce meridianâ clariùs patet;
quàm necessaria Pastori sit simplex &

christiana prudentia, quam Christus Dominus Apostolis, eorumque sectatoribus præcipit, Lucæ 10 *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columba.*

II. Quid autem est prudentia, Parocho & cuius homini adeò necessaria?

S. Basilius hom. 12. in Proverb. ait. *Prudentia est eorum que agenda aut non agenda sunt cognitio: quam si quis rectè scitatus fuerit, nunquam ab officio, virtutèque discedet, nunquam vitiorum pestem incurret.* S. Augustinus lib. 1. de lib. arbit. c. 13. *Prudentia est amor, ea quibus adjuvatur in Deum sagaciter eligens.* S. Bernardus serm. de villico, ait: *Prudentia est cognitio rerum appetendarum & fugiendarum.* Tolle hanc inquit S. Doctor serm. 49 in Cant. & *virtus vitium erit; ipsaque affectio naturalis, in perturbationem magis convertetur, exterminiumque natura.* Id verò ne fiat, iuvat Prudentia, quæ est virtus intellectus practici, quâ proposito

sito nobis sine virtutis, media ad illum consequendum, per consultationem inquirimus, & per iudicium invenimus, & per præceptum efficax, executioni mandamus.

III. Actus prudentiæ sunt.

1. Finem totius vitæ, scilicet Dei beneplacitum & assecutionem beatitudinis attentè respicere; & in quocunque negotio, proprium etiam virtutis finem intueri.

2. De mediis ad finem consequendum, per divinas leges consultare, pro luce ad intelligentiam, divinam veritatem orare, diligentiam etiam meditatione & aliorum consilio uti, & non nimium sibi fidere.

3. De his quæ in consultationem allata sunt, iudicare; inutilia ab utilis, mala à bonis, considerato statu nostro ac vocatione, nec non virium mensurâ, discernere.

4. Ea quæ meliora sunt, & fini ad quem tendimus, congruentiora, eligere: præstant autem certa incertis, secura periculosis, majora minoribus,

perpetua temporaneis, publica privatis.

§. Voluntatem & cæteras animi vires ad ea, quæ electione acceptata sunt opere exequenda, efficaciter per imperium inflectere: *Vir enim sapiens fortis est, & vir doctus robustus & validus.* Prov. 14. qui non solum rectè judicat & eligit, sed bona efficaciter perficit.

IV. Media obtinendi prudentiam sunt.

I. Oratio. *Optavi, inquit Salomon, Sap. 7. & datus est mihi sensus, invocavi & venit in me Spiritus sapientie.* Quare Pastor in dubiis, consulat Dominum, & instar Moyſis aut Davidis, nunc ingrediatur ad Dominum, nunc egrediatur ad populum: & priùs suppliciter à Deo lumen exposcat, antequam populo proponat. 2. Deinde tempus præsens, præteritum, & futurum, (quemadmodum faciebat venerabilis Petrus Forerius Pastorum speculum l. 2. vitæ c. 11.) perpendat; & antedicta in

con-

consultatione, electione & executione, diligenter observet; & non aberrabit. 3. Cum prudentibus & sapientibus agat. *Qui graditur cum sapientibus, sapiens erit, amicus stultorum similis efficitur.* Prov. 13.

V. Falsa prudentia summo studio est devitanda.

Prudentia falsa, veræ prudentiæ contraria, triplex est. 1. Est *Prudentia carnis*, de qua Apostolus ad Romanos: *Prudentia carnis inimica est Deo.* Hæc ea studiosius implet, quæ sunt carnis, quàm spiritûs. 2. Prudentia terrena, divitias & honores spectans. *Filii quoque Agar exquisierunt prudentiam, qua de terra est,* Baruch. c. 3. 3. Prudentia Diabolica, quæ ad malitiam pertinet; de qua dicitur: *Sapientes sunt, ut faciant mala, bene autem facere nescierunt,* Jeremiæ 4. Huc spectat astutia, fraus, dolus, nimia sollicitudo, de temporalibus & futuris. Hujus prudentiæ est, ait S. Gregorius l. 1, moral. c. 15. *Cor machinationibus*

bus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt, vera ostendere, & quæ vera sunt, falsa demonstrare.

VI. Axiomata & dictamina prudentiæ Pastori animarum utilissima & assiduè sequenda.

1. *Quidquid agis, prudenter agas & respice finem.* 1. Finem supernaturalem operis, qui est Dei gloria; 2. Finem ad quem creatus es, scilicet beatitudinem æternam. 3. Si devies à fine, æternam damnationem.

2. *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, anima vero sua detrimentum patiatur.* Matth. 16, 26. ac proinde animam suam, aut cuiuscunque alterius maximi faciat, terrena omnia tanquam lutum, pro ea despiciat: *Quam enim commutationem dabit pro anima sua?*

3. *Fac ea quæ moriens, facta fuisse volles.* In dubio, quid sit, agendum; vel si consulatur à Parochianis suis Pastor, quid suadendum, serviant Regula à S. Ignatio data: *Quid amico, cui*

cui optimè velles, suaderes? quid in horamortis, in iudicio extremo, in purgatorio egisse te velles? id nunc suade & age & prudenter ages.

4. *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem*, ait Apostolus Gal 1. ac proinde, ubi cernit aliquid ad Dei majorem gloriam & salutem animarum conducere, non aestimet hominum dicteria. *Magnorum Dei servorum est, iudicia hominum contemnere*. S. Hierony. Homines omnes, respectu Dei, lumbrici & vermiculi sunt: igitur propter tales, Deus o. m. aternus, infinitus, minimè est postponendus.

5. *Nihil spirituale, aut supernaturale parvi ducat*: Minima enim preca-tiuncula, minima eleemosyna, minima mortificatio, unicus passus aut motus manuum, Dei causâ factus, maxi-mi momenti est, quia primum me-retur, omnibus mundi divitiis infini-tè majus, scilicet gloriam æternam. S. Basilius in Const. Mon. *Nihil est minu-*

minu-

minutum, quod Dei causâ fiat; sed grande & spirituale, & ejusmodi, quod eorum nobis & premia cœlestia conciliet.

6. *Momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Corinth. 4. 17. Unde nullum laborem fastidiat, nullam molestiam Pastor grandem reputet, quam in officiis suis tolerare debet, sed cum S. Hieronymo sentiat & dicat sapius: *Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur.*

7. *Quod Deus non est, nihil mihi est.* S. Salehus. Hinc pecuniam & omnia terrena bona, amore suo digna non censeat, sed ut lutum reputet, cor avarè eis non affigat. *Valde deficiet si aliquid temporale reputaveris & magni aestimaveris.* Thom. Kemp. l. 2. c. 5. Ex superfluis sustentationi honestæ, eleemosynas erogat, templi & altarium nitorem ac decorem promoveat.

veat. Nil grande, nil pretiosum, & admirabile; nil reputatione appareat dignum: nil altum, nil verè laudabile & desiderabile, nisi quod æternum est. Tho. Kemp. l. 3. c. 4.

Has itaque veræ prudentiæ & sapientiæ regulas Parochus sectari, falsa verò dictamina & vitia fugere omnino studeat; præsertim præsumptionem, passionem, præcipitationem, pertinaciam, & alia, quæ tenebras menti offundunt, deliberationem impediunt, atque in avia, abrupta & præcipitia impellunt.

CAPUT XVII.

De Temperantia Pastoris.

INter alias virtutes morales, Temperantia in cibo & potu, maximè convenit & necessaria est Curatori animarum. 1. ad conservandam sanitatem: quia *in multis escis non deerit infirmitas: qui autem abstinens est, adjiciet vitam*, ait Siracides Eccli 37. 2. ob angelicam, castitatem; cujus ini-

mica

mica est intemperantia: *Venter enim cibo nimio, vinoque refertus, facile desummat in libidines, teste S. Hieronymo. 3.* Propter sacerdotale & parochiale officium, quod unicè temperantiam requirit; gulam, verò ebrietatem & crapulam refugit: Unde Apostolorum Princeps monet: *Fratres sobrii estote & vigilate* 1. Pet 5.

Sed vel maximè in nostra Germania, sobrietati studendum & vigilandum animarum Pastoribus: ubi vix electiones & consecrationes Præsulum, vix primitiæ Sacerdotum, patrocina templorum, dedicationes Ecclesiarum, collationes beneficiorum, solennitates contractuum, matrimoniorum, baptismorum, imò & funerum, absque conviviiis aut saltem symposiis instituuntur. Quæ non raro ad plures horas protrahuntur, convivæ ad æquales haustus vel invitantur vel coguntur, atque ita subinde ebrietatis confinia fit prolapsus. Cùm itaque corpus potu nimio incaluit, ratioque

tióque aut obnubilata, aut semisepul-
ta, aut saltem elevata, curásque o-
mnes supergressa fuerit, an non peri-
culum est, ea patrandi, quæ natura cor-
rupta, libertas, occasio, caro & dæ-
mon suggererit? & quæ Pastor me-
ritò erubescat, ac totâ æternitate de-
ploret?

Taceo quod hâc ratione diem fe-
stum, non rarò, manè cum LEO in-
choemus; vesperi eundem cum Dia-
bolo claudamus: manè calicem salu-
taris accipiamus; & nomen Domini
invocemus; à meridie calicem ebrí-
etatis exhauriamus & nomen Domi-
ni blasphememus: quàm verò hęc
animarum Pastori noxia & probrosa
sint, quis non videt?

Ad hoc fœdum cacoëthes abolen-
dum; nolumus communia ebriosis a-
liis argumenta; & multiplex væ in
verbo divino illis intentatum produ-
cere; sed ex natura rei, quanta inter
Pastorem & Potatorem seu Helluo-
nem contrarietas sit ac repugnantia,
luce clariùs demonstrare.

Quid

Quid igitur 1. est Pastor animarum?
 Est in primis homo : omnis namque
 Pontifex , & Sacerdos ex hominibus
 assumitur & constituitur in iis , qua
 sunt ad Deum. Quid autem est hel-
 luo & potator? Porcus, simia, asinus
 & canis, teste S. Chrysoftomo homil.
 58. in Matth. *Quantò melior asinus e-
 brioso est? quanto canis præstantior?
 omnes certè bestia, cùm bibunt aut come-
 dunt, ultra quàm satis est non sumunt,
 etiamsi mille homines cogèrent. Et quid
 homo? quid sacerdos? quid pastor?
 Homo cùm in honore esset non intellexit,
 comparatus est iumentis insipientibus, &
 similis factus est illis. Psal. 48. imò longè
 deterior.*

2. Quid est Pastor animarum? Est
 Sacerdos sanctæ Ecclesiæ, toties A-
 gnum immaculatum Deo offerens:
*Genus electum regale sacerdotium, gens
 sancta, populus acquisitionis 1 Petri 2.*
 Quid verò est potator ebriosus, nisi
 mancipium sui abdominis, spelunca
 sordium, cloaca fœditatis? Unde S.
 Paulus

Paulus vult *Episcopum* (in quo includitur Sacerdos) *non vinolentum*; & *Diaconos* (in quibus comprehenduntur inferiores Clerici) *non multo vino deditos*. 1. Tim 3.

3. Quid est Pastor animarum? Audivimus ex Malachia c. 2. 7. *Angelus Domini exercituum*. Quid autem ebriosus? audiamus S. Chrysostrum Homil. 5. ad pop. *Demon est voluntarius, mortuus animatus, morbus veniam non habens, commune generis nostri opprobrium: nam ubi ebrietas, ibi Diabolus, ibi turpia dicta; ubi ebrietas, illic Demones choreas agunt.*

4 Quid est Pastor animarum? Est parochia lumen, honestatis speculum, verecundia, modestia castitatis, & omnis decoris viva imago. Quid verò ebriosus, nisi fœdum sterquilinum, chaos tenebrarum, author scandalorum, prostibulum vitiorum, lusus Daemonum, monstrum inurbanitatis, impudentia probrum, petulantia, immunditia, & scurilitatis spectacu-

ctacu-

Staculum: Unde Apostolus ad Ephes.
 5. *Nolite inebriari vino in quo est luxu-
 ria.* Et S. Ambrosius: L. 1. de poen.
 c. 13. *pascitur libido convivii, nutri-
 tur deliciis, vino accenditur, ebrietate
 flammatur.* S. Chrysologus serm. 26.
*Ebrietas petulantiae Magistra, illecebra
 honestatis, pudoris injuria: hanc nullus
 noverit Christianus, ne auditu quidem
 attingat Sacerdos; ne qui est forma vir-
 tutum, vitiorum inde fiat & inveniatur
 exemplum.*

5. Pastor est Minister Christi,
 Mediator quodammodo inter Deum
 & populum, offerens sacrificia &
 preces pro populo, à plebe segre-
 gatus, liber à mundi negotiis, pro
 peccatis suorum deprecator: &
 iræ divinæ placator; ut dum alii
 laborant & negotia sua secularia tra-
 ctant, ipse pietati vacet, preces fun-
 dat, Deumque in Psalmis & hymnis
 dilaudet. At quo pacto id faciet Pa-
 stor comestationi & crapulæ deditus?
 plenus venter non orat libenter.

Quo-

Quomodo eructabit verbum bonum, fervens suspirium, ignitum eloquium; potu sese ingurgitans, vini aut cerevisiæ fæces exhalans, & crapulæ mephitim teterrimè eructans?

6. Pastor est Rector populi, Gubernator plebis, dispensator mysteriorum Dei, cui honor & reverentia, authoritas & æstimatio ab omnibus debetur. At quæ reverentia, quæ æstimatio, quæ authoritas populi erga Pastorem potatorem? manè vino cremato, liquore ve distillato succensum, à meridie, incendium manè excitatum, vino aut cerevisiâ affusâ restinguentem? Quis obsecro honor, quæ reverentia Pastori, qui cernitur à plebe, epibatarum, militumve more, tabaci fistulam ore gestare, faucésque hausto & emisso fumo, in caminum fumantem convertere, ac musæum suum sacratoribus studiis destinatum, in graveolens stipendiariorum gurgustium commutare? tot nobiles temporis pretiosi horas, salutis æternæ

K negotiis

negotiis consecrandas, aut otio proterere, aut quod deterius est, fumado, bibendo, spuendoque malè collocare; alternatim fauces calido tabaci fumo inflammare, ut bibat, & mox ignem liquore infuso restinguere, ut denud vaporando accendat, ac postmodum graveolentis animæ mephiti, non solum sanis & infirmis molestiam creet; verum etiam mali exempli foetorem afflet? Quis denique respectus, ac veneratio Pastori animarum, vel in sacro tribunali, coram pœnitentibus, vel in ædibus, coram infirmis, gravem ejusmodi nidorem diffundere, vultu rubenti, carbunculisque confito, ambonem conscendere, suosque auditores, verbo, non exemplo ad leges temperantiæ observandas excitare? *Confusio certè est & ignominia* (ut dicitur Cap. Ecclesiæ Principes distinct 35.) *Jesus Christum Crucifixum, pauperè & esurientem, factis predicare corporibus, & jejuniorum doctrinam, rubentes buccas, tumentiaque ora proferre.*

Ex

Ex quibus omnibus abundè liquet, quantà diligentia (exemplo S. Ambrosii & S. Augustini, ut Possidonius in vita refert) Pastori animarum, vitanda convivia, declinanda symposia, & omnis ebrietas, ejusdemque quavis occasio eliminanda sit. Ne festa profanet, homine exuto, belluam induat, immolator agni Baccho sacrificet, Angelus Domini, Dæmon evadat; honestatis & castitatis speculum, impudentiæ & impuritatis spectaculum præbeat, ac denique populi mediator, & Rector omnem reverentiam, honorem, venerationem & auctoritatem, gregariorum militum more, bibendo, fumandoque dilapidet.

CAPUT XVIII.

De Castitate Pastoris.

Ecclēsia Catholica non solum in variis Conciliis legem tulit de continentia Sacerdotibus & Pastoribus perpetuò observandâ, verum et-

iam solenne votum illius servandæ sacri ordinis susceptioni annexum esse voluit ; idque variis de causis 1. Ratione Sanctitatis infinitæ Christi Domini, cujus Sacerdos & Pastor, Minister est, & sacrificium divinum peragit. 2. Ratione præstantissimarum ac propè divinarum functionum sacerdotalium & pastoralium, quas exercet. 3. Ratione dispositionis melioris, quâ liberius & melius sine conjugalibus curis, oneribus & sollicitudinibus, Ecclesiæ & fidelium sibi commissorum saluti intendere ; tum variis impedimentis liber attentius orare, familiariusque cum Deo agere valeat. Teste Apostolo 1. Corinth. 7. *Qui sine uxore est, sollicitus est qua Domini sunt, ut placeat Deo ; & facultatem habeat, sine impedimento Dominum obsecrandi.*

Hæc virtus à Christo Domino & Apostolo commendata, à SS. Patribus mirificè laudata, & adamata, Pastori animarum unicè est necessaria, quâ

quâ deficiente, ut docet S. Hieronymus l. i. contra Jovinianum: *Omnis virtus ruit*: omnia ejus opera, preces, & parochiales functiones, quasi in sordibus jacent, & computrescunt. Et vel maximè ob sibi commissos: hos enim

1. debet verbo vitæ & Evangelii pabulo, & SS. Eucharistiæ mannâ reficere: quomodo autem cœlestibus deliciis debite pascet alios, qui se ipsum implet siliquis porcorum?
2. Debet parochianis suis viam, ad cœlum monstrare, imò quasi manuducere; quomodo autem aliis viam ad cœlum ostendet, qui ipse magnis passibus ad infernum properat?
3. Debet oves sibi commissas in Sacramento pœnitentiæ, à peccatorum maculis emundare; & impurissimum Asmodæum longè latèque dominantem, ab eorum mentibus expellere: at quî id faciet, qui totus sordibus oppletus, ab Asmodæo, quasi frœno regitur, & in quævis scelera nefanda propellitur?
4. Debet foeditatem luxuriæ, & criminum

K 3

immun-

immundorum turpitudinem populo proponere, horroremque eidem incutere: at quomodo lascivus aliis suadet, quod sibi non persuadet? aut quomodo ejus horrorem aliis injiciet, quod ipse magno amore complectitur? 5. Debet ad se in tribunali sacro confugientibus, ac perentibus, contra tentationes carnales, alexipharmaca præscribere; omnibusque miseras & infirmitates suas, hac in parte, aperientibus, apta remedia communicare. At quæ anima non horrebit Lenoni ejusmodi, inclinationes suas patefacere? An non hoc foret, columbam accipitri se credere, & ovem lupose committere? 6. Debet pro criminibus populi sui, preces fundere, sacrificia offerre, Dei misericordiam exorare, justitiam divinam placare. At quid faciet, indies Dei vindictam in se provocans, & Dei irati fulmen ac tonitru in caput suum accersens & lacessens. 7. Debet tanquam sal terra, suos à corruptione Luxuriæ præservare,

vare; & quomodo id faciet sal corruptum & foetidum? *Quod si sal infatum fuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras & conculetur ab hominibus, atque ad omnium, despectum & contemptum, abjiciatur.* 8. Denique ne sim prolixior, debet Pastor tanquam Lux Mundi, omnibus in domo Parrœciæ suæ præluce castimoniæ & honestatis exemplo; & vitæ sanctæ odore omnes alligere: at qui, igne gomorrhæo, tædæ instar piceæ, ardens & fumigans, aliis prælucebit? & qui foetore sulphureo & gehennali libidinis aërem inficiens; alios odore suavi castitatis recreabit?

Singulari igitur amore Pastor complectatur angelicam castitatem; ob varias, maximasque ejus excellentias, quas subinde ruminare licebit.

1. Excellentia castitatis, quod à Christo Domino singulariter commendata & amata fuerit: commendata quidem, cum dixit: *Qui potest*

K 4

capere

capere capiat, Matth. 19. & suos Apostolos omnia deserere, etiam uxores voluit: & centuplum hinc, & ibi vitam aeternam promisit. Amata vero, dum sicut in caelis Patrem Virginem habet; ita in terris nasciturus, matrem virginem habere voluit: cumque in caelo spiritus angelicos haberet autlicos, satellites & servos: in terra quoque angelicos milites & comites elegit, angelicam instituens vitam.

2. Excellentia castitatis est, quod Angelis similes reddat. *Erunt sicut angeli Dei, in caelo, quia non nubent neque nubentur: à pari, idem de non nubentibus dicere licebit.* S. Bernardus epistol. 42. *Castitas de homine angelum facit.* S. Hieronymus ait: *In carne sine carne vivere, angelicum est.* S. Cyprianus l. 6. de bono pudicit: *Virginitas se aequat Angelis, si verò requiramus, etiam excedit, dum in carne luctata victoriam, etiam contra naturam refert, quam non habent Angeli.* S. Petrus Chrysologus serm. 143. *semper est Angelis*

gelis cognata virginitas, in carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cœlestis. Esse angelum felicitatis est, virginem esse virtutis.

3. Excellentia Castitatis, quod sit sanctificatio corporis & animæ. Hæc est voluntas Dei, ait Apostolus 1 Theff. 4. sanctificatio vestra, ut abstineatis vos à fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderii: non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. E contrario, qui sunt in passione desiderii, sunt in ignominia, in immunditia, alieni à sanctificatione.

4. Excellentia castitatis, quod sit signum prædestinationis ad gloriam æternam: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Matth. 5. 8. Qui vicerit (concupiscentias carnis ut exponit S. Albertus magnus) dabo ei sedere mecum in throno meo. Apoc 3. 27. S. Laurentius Justinianus de instit. Prælat. c. 9. ait. Beatus homo, qui

K 5

post

post carnis petulantiam non abiit, & qui
 sacra virginitatis hortum conclusum,
 fontemque signatum Christo Domino in-
 violabiliter consecraverit. Ipse procul
 dubio, in nuptiali & eterno sponsi convi-
 vio, letabundus & gaudens, cantans &
 laudans, agnum sequitur, quocunque ie-
 rit, una cum B. Maria Virgine, Virgi-
 nis Matre, Reginaque virginum, choris
 virgineis sociata. Hi sunt qui cum mu-
 lieribus non sunt coinquinati, Virgines
 enim sunt & sequuntur agnum quocunque
 ierit. Apoc. 5.

5. Excellentia varia, & encomia
 Castitatis. Profert ea admirans &
 quasi attonitus, ejusque amore totus
 correptus ac inflammatus S. Ephrem
 Tom. I. l. de virg. serm. de cast. ubi
 sic exclamat: O castitas, cui abomi-
 nationi sunt deliciae, venustas corpo-
 ris & ornatus vestium! O castitas da-
 pibus atque epulis, ebrietati que ini-
 mica! O castitas oculorum frenum,
 qua è tenebris ad lucem, totum cor-
 pus transfert! O castitas, qua carnem
 casti-

castigat, & in servitutem redigit, ac
cœlestia velocissimè penetrat! O
castitas mater dilectionis, & angelicæ
vitæ ratio! O castitas quæ homines
Angelis similes reddis! O castitas do-
num Dei, benignitatis, disciplinæ
cognitionis atque scientiæ plena! O
castitas portus tranquillus, in summa
pace ac tranquillitate constitutus! O
castitas cœlestis prudentia & sancta
prædicatio! O castitas quæ cor possi-
dentis te latificas, & animæ ad cœle-
stia alas adjungis! O castitas, quæ spi-
rituale gaudium paris & mœrorem
aufers! O castitas quæ malum odio
habet & bono adhæret! O castitas
quæ passiones minuis & animum per-
turbationibus liberat! O castitas, quæ
justos illuminas & diabolo tenebras
offundis! O castitas, quæ in mansue-
torum & humilium animis habitas,
hominesque divinos efficis! O casti-
tas, quæ rosæ instar, in medio animæ
& corporis flores, universamque do-
mum odoris fragrantiam replet! Hanc

Sancti cuncti amârunt. Hanc S. Joannes Evangelista amplexus est, & super pectus Domini recumbere meruit. Hanc ergo nos quoque servi benedicti Salvatoris, toto pectore diligamus, ut inhabitantem spiritum Dei in nobis gaudio perfundamus. Haetenus S. Ephrem.

Ex dictis Colligis ô Pastor animarum; summam praestantiam, utilitatem & necessitatem castitatis; ex qua tanta bona, donaque profluunt, in cuius defectu, omnia Pastoris, opera fordescunt: Si concionem habeat, per os immundum, velut vinum praestans, per sordidum canalem fluit; si ad aram faciat, manibus impuris Agnum Dei immaculatum tractat: Si ejus libido publica sit. sacrificio assistentibus, nauseam & horrorem incurrit; si occulta, Deum & Angelos sanctos ad indignationem & vindictam provocat; Damones ac Spiritus imundos exhilarat. Sectetur ergo Pastor castitatem & Christo & Angelis
similis.

similis erit, sanctificatione gaudebit, pignus prædestinationis æternæ possidebit, innumerâque alia beneficia à Deo castitatis amatore consequetur.

C A P U T XIX.

De efficacibus mediis conservandæ castitatis.

Castitas, teste S. Augustino L. de Virgin. c. 13. *Est in carne corruptibili, incorruptionis perpetuæ meditatio.* Vel ut S. Albertus M. ait in Parad. c. 6. *Castitas vera atque perfecta est, cum non solum corpus à pollutione carnali custoditur; sed etiam anima à concupiscentia carnali, munda servatur.*

Virtutem hanc angelicam, ut sanctè colant Sacerdotes Ecclesiastici ac Pastores animarum, magna industriâ, curâ ac diligentia illis opus est: Si enim verum fateri velint; majoribus ferè in periculis versantur, quàm vel sæculares laboribus assiduis & negotiis intenti, vel Religiosi septis suis inclusi, & superiorum oculo custoditi;

Quanta enim nonnullis Pastoribus & Sacerdotibus, castitatis discrimina minantur, facultatum copia, cibipotusque abundantia, occasionum praesentia, Praelatorum ac Testium absentia, caro indomita, & quandoque consuetudo inveterata, alienae formae lenocinia, Diaboli instar leonis rugientis, & quærentis quem devoret, furor, rabies & sevitia: qui ut ait S. Hieronymus: *De Ecclesia rapere festinat, & esca ejus, secundum Habacuc, electa sunt. Job subvertere cupit, & devorato Juda, ad cribrandos Apostolos expetit facultatem.*

Quantò igitur majoribus in periculis Clerici, Sacerdotes & Pastores versantur, tantò efficacioribus indigere eos remediis & adminiculis, seu præservativis, sole clarius est. Efficaciora autem cæteris videntur sequentia.

I. Medium obtinendæ vel conservandæ castitatis, *oratio.*

Docet hanc sapiens, c. 8. II. *Ut sci-*
vis

vi, inquit, quoniam aliter non possem esse
continens, nisi Deus det adii Dominum
& deprecatus sum. Eodem remedio
usus est Doctor Gentium, qui ut stimu-
lum carnis, Angelumque Sathanæ re-
primeret, ter Dominum rogavit; &
audivit: *Sufficit tibi gratia mea.* 2. Cor.
13. Idem medium arripuit S. Augu-
stinus l. 10. Confess. c. 29. *Continen-
tiam iubes, da quod iubes.* Da, inquit,
quod nullus præter te dare potest. Da-
bit autem facilius, citiusque, si matris
virginæ accesserit suffragium, ut ex-
pertus Doctor Mellifluus serm. 2. su-
per missus. *Si carnis illecebra navi-
culam concusserit mentis, respice stellam,
voca Mariam & statim cessabit navi-
la concuti, & ab impuro Veneris affla-
tu excitata tempestas sedabitur. Ju-
vabit quoque S. Angeli Tutelaris. &
aliorum Sanctorum castitate illustri-
um, patrocinium.*

2. Medium tuendæ castitatis, me-
ditatio.

Delectatio in Domino, gaudium in
medi-

medi-

232 *De efficacibus mediis*
meditationibus & contemplationi-
bus cœlestibus ; in conversatione &
familiaritate cum Deo, mirè castimo-
niam adjuvat. *Gustate & videte quo-*
niam suavis est Dominus Ps. 33. 9. Gu-
stato enim spiritu, desipit omnis caro. Ait
S. Bernardus, & omnia alia vilescunt.
S. Gregorius l. 18 moral. c. 8 idem
confirmat, dicens: Qui rerum terre-
narum amore vincitur, in Deo nullatenus
delectatur. Esse quidem sine dele-
ctatione anima nunquam potest; nam
aut infimis delectatur, aut summis. Et
quanto altiori studio exercetur ad sum-
ma; tanto majori fastidio torpescit ad
infima, quantoque acriore curâ inarde-
scit ad infima, tanto tepore damnabili
frigescit à summis: Utraque enim simul
& aequaliter amari non possunt. Nec
dissentit S. Hieronymus Epist. ad Eu-
stoch. Carnis amor spiritûs amore supe-
ratur, desiderium desiderio vincitur:
quidquid inde minuitur, huic accrescit.

3. Medium constans occupatio, &
otii fuga: studium sacrae scripturae &
aliarum scientiarum Pastori necessa-
riarum

riarum de quibus egimus supra c. 2.
*Ama Scripturarū studia & carnis vitia
non amabis.* S. Hieronymus ad Rusti-
cum. Otia si tollas perire Cupidi-
nis arcus.

4. Medium castitatis, *jejunium.*

Jejunium, cilicium, flagellum, ca-
tenula, chameunia & lectus durior,
aliāque opera pœnosa. Hoc genus
Dæmoniorum non ejicitur nisi in o-
ratione & jejunio. Castitas, à casti-
gando nominata est, ut existimat Do-
ctor Angelicus. 2. 2. q. 151. a. 1. ex eo,
scilicet, quod, ut ea salva sit, corporis
debeat adhiberi castigatio. Est cor-
pus animæ, quod Hero vile mancipi-
um, quod durius tractandum est, ne
mollius habitum insolescat; atque
ita illud tractavit Apostolus 1. Cor.
9. 27. *Castigo, inquit, corpus meum &
in servitutem redigo, ne fortè cum aliis
predicavero, ipse reprobus efficiar.* Sua-
debat id ipsum ante annos aliquot In-
nocentius XI. Pontifex sanctissimus
Nobili Canonico Germano, pro ma-
trimo-

trimo-

De efficacibus mediis
 trimonio ineundo, dispensationem
 fragitanti, eò quòd dono castitatis ca-
 reret: Oret, inquiet, in pane &
 aqua jejuret, flagellis, ciliciisque car-
 nem domet, & habebit donum conti-
 nentia.

5. Medium castitatis *missæ oblatio*.
 Efficax castimonix tuendæ reme-
 dium est, crebra sacrificii oblatio, &
 corporis ac sanguinis Agni immacu-
 lati sumptio, qui ut cibus corpori, ita
 ille menti suas qualitates & virtutes,
 ac præsertim puritatem imprimit.
Quid bonum ejus & quid pulchrum ejus,
nisi frumentum Electorum & vinum
germinans Virgines. Zachariæ c. 9.

6. Medium castitatis, *Fuga occa-*
sionum.

Omnes SS. Patres uno ore clamant
 in fuga spem unicam esse & momen-
 tum summum victoria, de vicio castitati
 contrario: *Fugite fornicationē* ait Apo-
 stolus 1. Cor. 6. S. Ambrosius docet: *Cum*
aliis vitiis potest expectari conflictus,
hanc fugite, ne approximatis, quia non
potest aliter vinci. S. Augustinus de hon-
mul

mul. Cum cetera vitia pugnando vinci
soleant, sola libido est, qua fugiendo po-
tius, quam pugnando superatur. Et
serm. 252. Contra libidinis impetum
apprehende fugam, si vis obtinere victo-
riam: nec tibi verecundum sit fugere,
si castitatis palmam desideras obtinere.
S. Hieronymus L. contra Vigilanti-
um. Fateor, inquit, imbecillitatem meam,
nolo spe pugnare victoriæ, ne perdam ali-
quando victoriam: tu qui pugnas supe-
rare potes ac vincere; ego cum fugero,
non vincar in eo quod fugero, & ideo fu-
gio, ne vincar. Nulla securitas est cum
vicino serpente dormire, potest fieri ut me
non mordeat, tamen potest fieri, ut me a-
liquando mordeat. Quis juxta vipe-
ram securus dormit? nunquam cum lu-
potutus est agnus, unde castissimus Jo-
seph fugit, fugâ usus pro armis, ait S.
Basilius Seleuciæ Episcopus.

7. Medium castitatis circumspecta
conversatio.

Plurimum juvat circumspecta &
rara cum sequiore sexu conversatio,

com-

commoratio aut cohabitatio. Suadet hanc Ecclesiasticus c. 42. *In medio mulierum noli commorari: de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* S. Cyprianus hujus conversationis pericula luculentè ob oculos ponit. de sing. Clericorum *Nunquam ait, securus cum thesauro, latro tenetur inclusus; nec intra unam cavernam habitans cum lupo tutus est agnus. Alligabit quis in sinu suo ignem & vestimenta ejus non comburentur? ambulabit super carbones & pedes ejus non ardebunt. Lubrica spes est, quæ inter fomenta peccati salvari se sperat. Incerta victoria est inter hostilia arma pugnare & impossibilis liberatio est, flammis circumdari & non ardere: difficile quis venenum bibet & vivet. Verendum est dormienti in ripa ne cadat. Qui se putat stare, videat ne cadat. In hac parte expedit plus bene timere, quam malè fidere. His de causis & majoris securitatis gratiã, tantã cautelã usi sunt Sancti omnes.*

S. Augustinus Episcopus nullam mulie-

mulierem intra Domum suam con-
versari est passus, ne quidem germa-
nam sororem, quæ vidua Deo servi-
ens, multo tempore, usque ad diem
obitus sui, Præposita ancillarum Dei
vixit.

Venerabilis Petrus Forerius Curio-
nem agens, noluit in ædes suas reci-
pere ullam consanguineam, ac ne
ipsam quidem matrem, non nescius,
si nonnulla Concilia Parochis id con-
cedant, hoc non nisi per conniventi-
am fieri.

Jacobus Merlohorstius Parochus
multis annis coctos cibos è vicina do-
mo accepit, ne mulierem admittere
cogeretur. Ac licet postremis annis
sororem in Domum receperit; nun-
quam tamen ipsam, vel aliam mulie-
rem, intra limen cubiculi sui, pedem
inferre passus est. Et licet quædam
matronæ id ipsum importunè flagi-
tarent, constanter id negavit & illico,
ostio hanc epigraphen appendi jussit:
Mulierum pedes foras sunt. Vita c. 13.
S. Hie-

S. Hieronymus Nepotianum merito hortatur: *Hospitiolum tuum, aut raro aut nunquam mulierum pedes terant.* Quam verò ob causam ô Doctor sancte? Rationem dat in Epistola ad Pammachium, dum ait: *Nihil esse periculosius viro, quam feminam; & femina, quam virum:* & hujus ulteriorem causam allegat: *quia uterque ignis, uterque stipula est, quæ ex vicinia flammam concipit.*

Cave igitur, mi Pastor novelle, longa cum altero sexu colloquia & conversationem continuam, blandam & affabilem: hoc enim perinde est ac obdormiscere ad extremum marginem formidabilis præcipitii. *Quid tibi cum femina, qui ad altare cum Domino fabularis?* S. Hieronymus ad Oceanum. In hoc semper periculi metus est. *Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens Eccles. 42.* Minus enim ferre damnum accipit vir ex commercio cum viro nequam, quam ex commercio cum femina bona. Prodit

dit enim etiam iniquitas ex femina bona, ut ex purpura tinea. *De vestimentis procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Eccles. 42. Quoties factum, ut sub specioso prætextu unius animæ servandæ, perirent duæ? optimum vinum, in fortissimum mutatur acetum.

8. Medium Castitatis, præsentia Testium.

Testium præsentiam jam tum ab exordio nascentis Ecclesiæ S. Clemens Papa, Clericis præscripsit, hisce verbis: *Ad visitandam mulierem infirmam nullus Clericus ingrediatur, nisi cum duobus aut tribus: & nec Presbyter solus cum sola femina fabulas misceat.* S. Hieronymus scribit: *Solus cum sola absque arbitro & teste non sedeas, etiamsi secretum aliquod intersit, caveto omnes suspiciones & quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, antè devita. Muliebria munuscula, & sudariola, & vestes ori applicatas, & oblatos ac degustatos cibos, blandasque ac dulces literulas sanctus amor non habet.* Ad

Ad excusationes à Clericis præten-
di solitas respondet idem S. Hierony-
mus: *Quod si dixeris, mihi sufficit con-*
scientia mea: habeo Deum iudicem,
qui meæ vitæ est testis; non curo quid lo-
quantur homines: Audi Apostolum,
Providentes bona non solum coram Deo,
sed etiam coram hominibus.

Hic rursus exemplo illustri præ-
luxere Sancti: S. Carolus Borroma-
us nunquam induci potuit, ut cum
fœminis consanguineis licet, nisi co-
ram personis valde gravibus loquere-
tur; in loquendo autem nemo illo
circumspectior, nullum verbum ede-
re auditus est, quod virtutem non ole-
ret. *Vitæ compend. c. 26. Imitetur*
Neoparochus: Solum ad solam nulla
religionis ratio permittit accedere. Dist.
81. c. In omnibus. Si ægram necesse sit
invisere, fiat rarò expediâtque se citò
& loco aliorum oculis exposito. Ma-
gna peccatorum pars tollitur, si peccatu-
ris testis assistat. Seneca Epist 11.

Præ reliquis hujus cautelæ exemplo
reful-

refulfit S. Augustinus; de quo Possidonius in vita. Nunquam ad foeminas rogatus sine testibus Clericis accedebat, vel solus cum sola loquebatur, etsi secretorum aliquid interesset; asserens: *Nunquam foeminas cum servis Dei solis etiam castissimis, quanquã prætextu amoris spiritualis, conversari debere: nam amor spiritualis, generat affectuosum, affectuosus obsequiosum, obsequiosus familiarem, familiaris saepe generat carnalem; & ita fit, quod S. Paulus ad Gal. 3. prædixit, ut qui spiritu cœpit, carne consummet.*

Nec ideo minùs, ait idem Augustinus, foeminae fugienda sunt, quia religiosa videntur: quia quanto religiosiores, tanto citiùs alliciunt; & sub prætextu pietatis later viscus libidinis. Experto crede, expertus loquor, coram Deo, non mentior: Cedros Libani, Duces gregum, sub hac peste cecidisse reperi, de quorum casu non magis suspicabar, quàm de Ambrosii vel Hieronymi impudica turpitudine. Quanti Episcopi & Cleri-

L

ci,

ci, post confessionem, post victoriã & calcata certamina, post magnalia & signa mirabilia, usquequaque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragasse, cum volunt in navi fragili navigare. *Quantos leones domuit una infirmitas delicata, id est luxuria, quæ cum sit vilis & misera, de magnis efficit prædam. Quot columna cœli ceciderunt: Sanctissimi illi Eremitæ, multorum annorum experientiã probati, in solitudinibus errantes, ætate provec̃ti, imò & miraculis coruscantes, & tamen eos de fastigio conversationis cœlestis, mulieres deturbant. Hactenus S. Augustinus.*

Quis non paveat, quis non sibi caveat, ô Pastor! ô Sacerdos! ô Clerice! Quis non omni circumsp̃ctione sibi attendat, & quævis castimoniarum pericula devitet? Pave ergo & cave; prædicta media solerter adhibe, quibus junge sensum jugem custodiam, temperantiam, sobrietatem, annuam S. Ignatii ascensum, quæ potentia media sunt; ac denique monitum S. Hieronymi

nymi sequere, Nunquam in præterita
castitate confide: neque enim sanctior
Davide, nec Salomone potes esse sapien-
tior, memento semper, quod Paradisi co-
lonum de possessione sua eiecerit mulier.

CAPUT XX.

De Humilitate Pastoris.

Prima virtus & basis aliarum mo-
ralium virtutum, est Humilitas,
Fundamentum sanctitatis, semper fuit
Humilitas, ait S. Cyprianus l. 2. de
confid. Et ut Cassianus inquit, tan-
tum quisque habet virtutis, quantum
humilitatis. Et quò altiùs in perfe-
ctione cogitat quis ascendere, eò pro-
fundius descendat in humilitate:
Nam qui cogitat magnam fabricam
construere celsitudinis inquit S. Augu-
stinus serm. 10. de verb. Dom. priùs
de fundamento cogitet humilitatis, &
quantam quisque vult imponere molens
ædificii, quantò erit majus ædificium,
tantò altius fodit fundamentum: quod
præcipuè incumbit Parochis, qui alios

humilitatem tenentur verbo & exemplo docere. Ideoque hanc virtutem singulariter Dominus commendavit discipulis suis, & in illis, omnibus Sacerdotibus & Pastoribus animarum. *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum.* Matth 18. *Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus, iste, hic major est in regno caelorum.* Et rursus aliàs Lucae 22. *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic: sed quicumque voluerit esse major inter vos, sit vester minister. Sit ergo Pastor parvulus corde, ore, opere.*

I. Parvulus sit corde, nihilum suum, vilitatem, imbecillitatem, & malitiam suam agnoscens; seque intimè cognoscere studeat: *Humilitas enim, teste S. Bernardo, est virtus quâ quis verissimâ sui cognitione sibi ipsi vilescit.* Cogitet ergo saepe Pastor cum dicto S. Bernardo: *Quid fuisti, quid es, quid eris? quoad corpus, quid fuisti?*

isti? sperma foetidum: quid es? sac-
cus sordium: quid eris? esca vermi-
um. Quoad animam, quid fuisti? ni-
hilum, quid es? nidus vitiorum & pas-
sionum: quid eris? forsan ludibri-
um Dæmonum, & titio infernalium
flammarum. Quid es? quàm igna-
rus, quàm instabilis, quàm ad malum
pronus, quàm ad bonum infirmus,
quantis peccatis obnoxius, quàm in-
firmis rebus addictus, quantis miseriis
subjectus, quàm in esse, posse, opera-
ri, ex te nihil habens, sed totus à Deo
pendens? Quàm foedus? nullus canis
mortuus, coram Deo sic putet ac fo-
tet, ac tu, ob peccata tua. Quàm ma-
lignus? Dæmonibus ipsis peior, qui
semel tantum peccarunt, tu centies
& ultra: & illi in uno genere pecca-
ti, tu in diversis, nec pro illis Christus
mortuus est, sed pro te, & tamen illum
toties offendisti ac offendis, ingratif-
simus mortalium. Hæc si seridò ac
crebrò expenderis; stultus & cæcus
es, si te extuleris.

L ;

2. Par-

2. Parvulus sit, ore & verbis, se ipsum non laudando, dona & talenta sua, aut facta non jactando, aut magnificando, nec in iis gloriando, nec in privatis colloquiis, nec in publicis concionibus vel minimum vanitatis, ostentationis aut jactantiae indicium praebendo; sed omnem laudem & gloriam Deo, omnium bonorum fonti attribuendo: caveat tamen fucatam humilitatem, de qua S. Ambrosius l. 7. epist. 42. *Multi, inquit, habent humilitatis speciem, veritatem non habent, multi eam foris praedicant, & intus impugnant. Est enim qui nequiter se humiliat, & interiora ejus plena sunt dolo.* S. Hieronymus ep. ad Celant. *Humilitas illa consecranda est, non quae ostenditur, atque simulatur, gestu corporis, aut fracta voce verborum; sed quae puro cordis affectu exprimitur: aliud est enim virtutem habere, aliud virtutis similitudinem; aliud rerum umbram sequi, aliud veritatem, multo deformior est superbia, quae sub quibusdam humilitatis signis latet.*

3. Par-

3. Parvulus sit opere & factis. 1. Ex summa erga Deum æstimatione Religionis opera, & sacramenta, cum maxima subjectione, humilitate & reverentia peragat, eique tanquam lutum sigillo se submittat. 2. Homini- bus, præsertim Superioribus, propter Deum, se subjiciat, & absque difficul- tate gubernari se sinat. 3. In exter- nis functionibus, quantum est in se, abjectiora complectatur, ut latus sini- strum, in congressibus; locum infi- mum in confessibus, atque officia mi- nùs honorata: in vestibus, supellesti- le, cubiculo sociis, humilitati servi- entia eligat, omnemque superbiam, ambitionem, vanam gloriam & vani- tatem fugiat: exemplo Christi Do- mini, stabulum, matrem pauperem, contemptum, & crucem eligentis, & dicentis *Discite à me quia mitis sum & humilis corde & invenietis requiem ani- bus vestris.* Juvabit quoque oratio, quâ humilitas à Deo, per Sanctorum humilitate illustrium, intercessionem,

instanter petatur, & examen particulare, de humilitatis gradibus & actibus ordine instituat. His viis obtinebitur per gratiam Dei, humilitas, quæ est fundamentum virtutum, veritas vitæ, pax animæ, despectio terrenorum: quam qui possederit, beatus erit, & Deus illum exaltabit, atque in cælo ad magnam gloriam attollet.

C A P U T XXI.

De Paupertate spiritûs Pastoris, & fuga avaritia.

PAupertas Spiritûs, & fuga avaritia, decet in primis Parochum: is enim cuius Dominus pars est, & cælum hæreditas, mundo & terrenis non debet adhærescere, nec aurum & argentum, quod S. Bernardi sententiâ, non nisi terra flava & alba est, sordidè quærere, aut avarè coacervare, aut ulli Parochianorum, occasionem querelæ & suspitionis, de tenacitate præbere; sed tam exemplo, quàm verbo, docere,

docere, id quod Thomas Kempensis l. 3. c. 4. innuit, scilicet: *Terrena despiciere, & amare caelestia, mundum negligere, & caelum totâ die ac nocte desiderare.*

Nolite thesaurizare vobis in terra, monet Redemptor Marci 6. 19. ubi fures effodiunt & furantur: sed facite vobis sacculos in caelo, quò sur non appropriat, nec tinea corrumpit. Imò tam remotos, vult esse suos Christianos, & vel maximè viros Apostolicos, ab avaritiæ labe, Apostolus; ut nec nomen proferri voluerit: Omnis avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, Ephes. 5. 3. & imprimis Sacerdotes & Pastores: vitium enim hoc, cor Parochi terræ affigit, plurimùm distrahit, à spiritualibus avocat, bonam famam, & zeli sinceri opinionem labefactat.

Deinde hoc avaritiæ vitium, tum frequentatis actibus, tum etiam cum ipsa ætate crescit & augetur; tametsi senecio, plus viatici, quàm viæ habeat. *Cum cetera vitia, senescant; so-*

250 *De Paupertate spiritus Pastoris*
la avaritia juvenescit, inquit S Hiero-
nymus. Ne hac anima, um Curatori
accidant, in specie sequentes defectus,
cane pejus & angue, devitare conui-
tatur,

I. Actus avaritiæ in Pastore est, ni-
mis tenaciter sua jura, præsertim stolæ
(ut vocant) exigere & extorquere,
atque instar torcularis, usque ad ulti-
mam guttam, exprimere. Memini
me ante años duo detringinta in pago
querelas audisse; Parochum & Custo-
dem ex condicto, cadaver pauperis in-
humatum reliquisse, nec sepultura ca-
remonias adhibere voluisse, nisi pri-
us, ipsis penderentur jura. Pro qua-
le exemplum! quale avaritiæ pro-
brum! At jura stolæ, inquit tuen-
da sunt & in vigore conservanda, ne
in desuetudinem abeant, idque pro-
pter successores. Frivola & calva ex-
cusatio: vel enim agrè sunt solvendo
miselli, & liberaliter condonent Pa-
stores: vel nullo modo sunt sol-
vendo pauperuli, & in eleemosy-
nam

nam donent, ac nulla fiet præscriptio.

2. Actus avaritiæ est, metu stipendii minuendi, aut salarii pendendi non admittere Sacellanum, vel Adjutorem, omnino tamen necessarium: sine quo, doctrina Christiana negligitur, sacro matutino communitas privatur, ægri solatio destituuntur, multaque, quæ ab uno solo præstari nequeunt, in consecrationibus excipiendis & aliis, prætermittuntur.

3. Actus avaritiæ est, finire, ut suppellex sacra, calices, pyxides, aliæque ad rem divinam spectantia fordescant, templum ipsum iustar fœnilis aut stabuli appareat, domus parochialis vetustate collabascant: ægri sterilescent, vineæ stipitibus, vitibusque vacuæ relinquantur; præsertim si media suppetant.

4. Actus avaritiæ est, spe lucri, quod à Cauponariis reportet, permittere symposia festivis diebus: choreas, quæ Sanctorum effato, oblectamentum tartareum sunt, non abolere;

252 De paupertate spiritus Pastoris,
aliâque peccatorum seminaria tole-
rare.

5. Actus avaritiæ est, agnatorum ni-
miam curam gerere, omnia eorum
negotia, in se suscipere, tractare & ad-
ministrare; mercimoniis & lucris in-
sistere: *Nemo militans Deo, implicat
se negotiis secularibus*, teste S. Paulo.
Quis Parochum, tot, tantisque nego-
tiis obrutum, credat, libros asceticos
evolvere Theologicis studiis vacare,
promovendæ Sacramentorum fre-
quentationi incumbere, diffidia com-
ponere, pauperes occultos adjuvare,
moribundos, ad luctam supremam
disponere? *Nulla animarum lucra
querimus, quia ad nostra quotidie vacamus.*
S. Gregorius l. 6. epist. 4.

6. Actus avaritiæ est, lites cum Pa-
rochianis querere, jura sua acrius,
quàm par est, defendere, nolle in mi-
nimo cedere, aut acquiescere. Unde
abalienantur Parochianorum animi,
abstinentur à confessione & synaxi
sacra; vel emanent, vel auribus invi-
tis,

tis, & absque fructu, intersunt concionibus; defectu benevolentia & affectus, quem vel ipse Cicero, alii- que Oratores ethnici, plurimum ad animorum motum, valere animadvertunt. At quanto boni spiritualis detrimento: & quot animarum dispendio? Sed oggerunt litigiosi ejusmodi Eucliones: Parochialia bona tueri, juramento astringimur. Audio: sed quæro: An non quoque obstructi sitis animarum vobis commissarum salutem quærere: discordias eliminare, scandala vitare, gravia peccata proscribere, plurimâque alia mala avertere, quæ ex jurgiis ac controversiis vestris, cum plebe, oriuntur? An non una anima, Jesu sanguine redempta, mundi universi pretium, omniumque temporalium bonorum valorem superat?

Est modus in rebus, sunt certi denique fines, quos ultra, citràque nequit consistere rectum. Videat ergo Parochus, quâ ratione, & quo melio-

254 *De paupertate spiritus Pastoris,*
re modo jura sua defendere valeat.
Expendat utrum plus damni, an emolumentum ex lite sua relaturus sit, praesertim si cum tota Paroecia aut cum pauperibus negotium sit. Si cum populo, similis is est urso, qui quò fortioribus est unguibus, eò debiliore est capite; unde vix unquam induci se finit, ut credat recto studio Parochum ad litem impelli, & quæ Ecclesiæ, magis, quàm quæ sua sunt querere; maximè si fundum, Domum, supellectilem sacram & alia ab eo negligi videat. Cum egenis etiam, in controversiis, lentiùs progrediendum est, cum teste S. Ambrosio, ipsorum indigentia, vel ipsa vasa sacra frangere & vendere liceat.

7. Denique omnem omnino avaritia speciem Pastor declinare studeat. S. Philippus Neri, suis tanquam rem præcipuam commendabat; si vellent fructum facere in animabus, à crumenis aliorum abstinere; nec se in Testamenta ingerere, etiam bonâ

nâ intentione, quippe præbentia suspicionum materiam; nec posse quem simul lucrari animas & res eorum. Experientia testis est. Cùm Fulco Presbyter Parisiensis Diœcesis, concionando in Gallia & Germania, conversiones admirabiles fecisset, tunc cœpit perdere opinionem sanctitatis, cùm pecuniam accumulare cœpit, pauperibus cruce signatis erogandam, ut refert Jacobus de Vitriaco in Hist. occid. c. 5.

C A P U T XXII.

De modestia Pastoris.

Parochi modestiam in tribus, scilicet vestibus, habitatione, & suppellectile, relucere oportet.

1. Modestia in vestitu & decentia servetur; ut sit habitus clericalis, quoad materiam, formam & colorem: is enim eos sui statûs, dignitatis & officii commonefacit: is apud populum illis reverentiam, autoritatémque conciliat, is à mundi periculis & illecebris

cebris custodit & præservat, pro quo sequentia servient monita.

Monitum 1. Habitus sit honestus & modestus. Hunc Concilium Nicænum 2. can. 16. præscribit: *Omniem jactantiam & ornatum corporalem esse à sacerdotali statu & ordine alienum. Item omnem virum sacerdotalem cum moderato & honesto habitu versari debere. Ornatus pariter & sordes in habitu vitandæ sunt*, ait S Hieronymus ad Nepot anum, *quia alterum delicias, alterum gloriam redolet.*

Monitum 2. Materia non nimis pretiosa sit, non serica, non holoserica, sed lanea. Ita Concilium Nicænum 2. Anno 785. dum ait: *Episcopos & Clericos, qui se splendidis & insignibus vestibus exornant, corrigere oportet.*

Monitum 3. Forma, sit laudabili Cleri consuetudini conformis, id est, oblonga & talaris, qualis passim in Italia, Gallia, Hispania & à multis vitæ probatoris, in Germania gestatur. Hæc forma ex primæva Ecclesiæ insti-

institutione, SS. Patrum placitis, & Conciliorum variorum, præsertim Lateranensis & Tridentini sess. 22. c. 1. de reform. Decretis est introducta, laudata, confirmata. Eadem quoque à S. Basilio Epist. 1. ad Gregor. commendata est: *Tunica, inquit, seu vestis talaris cinctu (id est cingulo) appressa sit corpori & astricta.*

Monitum 4. Color sit niger, non rubeus, non viridis, non griseus. Nigrum enim colorem, teste S. Athanasio, jam olim Clerici amplexi sunt. S. Augustinus vestem fuscam, quam nigellam vocat, in signe continentiam profitentium esse asserit. S. Hieronymus Epist. ad Marcellam; vestem fuscam, seu pullam, mundo mortuis usitatam fuisse insinuat: alios colores Clericis vetuit Innocentius III. dicens: *Pannis rubris aut viridibus non utantur.*

Monitum 5. Vestes odoriferas nemo Pastorum circumferat, nam id fœmineû potiùs, quàm virilem animum prodit.

prodit. Abusum hunc meritò S. Chry-
sostomus in orat. 1. de Lazaro, infi-
mulat, *Clericos, inquit, non oportet ole-
re unguentum, sed virtutem spirare, ni-
hil immundius animâ, quoties corpus ta-
lem habet fragrantiam: quia corporis
ac vestium fragrantia arguit intus late-
re animum graveolentem & immun-
dum.*

Monitum 6. Parochus, ne quidem
iter faciens vestes coloratas & sæcula-
res gestet: Nam etiam in itineribus,
castitatis pericula non desunt, in qui-
bus vestis talaris & clericalis munit
ac protegit. Synodus Quinisexta
Can. 27. ordinavit, *Ut nullus eorum,
qui in Cleri catalogum relati sunt, ve-
stem sibi non convenientem induat, ne-
que in civitate degens, neque iter fa-
ciens.*

Monitum 7. A gestandis armis &
gladiis, abstineat, eaque sæcularibus
relinquat: *Non pila querant ferre Chri-
sti milites, de vit. & hon. Cler. 23. q. 8.
c. non pila. scutum orationis & gla-
dium*

dium spiritus præferant, quod est verbum Dei. Ephes. 6. 17. Clericus incedens noctu cum armis, præsumitur ire ad delinquendum. Panormitanus apud Navarr. l. 5. c. 44. n. 3. Servum Christi non custodia corporis sed Domini providentia seipse consuevit. 23. q. 8. c. non pila.

Monitum 8. Pastor omnem in capillitio vanitatem fugiat, neque in fictitio capillo futilem ornatum quaerat, aut sese nitidulè crispatum jactiter: contra nutrientes comam, à primis Ecclesiæ initiis, leges latæ, tum ob venerationem Apostolorum, qui ob contemptum Evangelii, ab hostibus, attonsi fuerunt; tum ob mundi contemptum, quem Clericus Deo consecratus, præ se ferre & habere debet. Audite fulminantem in Concilio, à se Romæ in Basilica sancti Petri habito, Gregorium bonum: *Si quis ex Clericis nutrierit comam, Anathema sit.* De vit. & hon. Cler. dist. 23. c. si quis. Quid diceret Pontifex ejusmodi, si hodie-

hodie dum, Clericum non modò ambulans per plateas; verùm etiam consistentem ad aras, instar leonis iudicati, assumptitium capillum, gerentem & ventilantem cerneret?

II. Modestia quoque à Parocho in Domo, & habitatione servanda: quaere 1. Domus sit munda, hoc enim tam ad sanitatem, quàm ad ædificationem conducit. 2. Sit commoda & bene aptata, instructa cubiculo, ubi dormiat & studiis vacet; à Domesticorum habitatione distincta, ne ab illis turbetur. 3. Domus parochialis, integra, facta, tecta conservetur, quantum per redditus annuos licet. Obligatur ad hoc à Concilio Trid. sess. 21. de reformatione. c. 7. 4. Non sit more sæcularium exornata per istromatis pretiosis, picturis vanis aut mundanis, aliisque vanitatibus, juxta Apostoli monitum: *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum.* 1. Corinth. 6. S. Bernardus ad Henricum Archiepiscopum Seno-

Sen-

Senonensem scribit: *Erit honorabile ministeriū nostrum, illūdque honorificabunt, non cultu vestium, non equorum fastu, non amplis adificiis; sed ornatis moribus, studiis spiritualibus, operibus bonis.*

III. Nec negligatur modestia in supellectile Parochi: I. Supellex non sit nimis pretiosa quoad materiam; nec nimis exquisita quoad formam, statūque pastoraalem excedens; sed communis & simplex, atque modesta: si enim hanc vel ab ipsis Episcopis requirit Concilium Tridentinum sess. 25. de reform. c. 1. Quid à Pastoribus & aliis Clericis exiget? Episcopi, inquit, in primis, ita mores suos componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestie & continentie, & qua nos tantopere Deo commendat, sancte humilitatis exemplar petere possint. Quapropter exemplo Patrum nostrorum in Concilio Carthaginensi, non solum jubet, ut Episcopi modestā supellectile & mensā & frugali victu contenti sint, ve-

rūm

rūm etiam in reliquo vite genere, ac tota domo, caveant, ne quid a sancto hoc instituto sit alienum, quod non simplicitatem, Dei zelum, & vanitatum contemptum praeferat. Quid verò ab aliis Clericis & Pastoribus sancta Synodus requirat, illico subjungit, dum ait: *Quae verò de Episcopis dicta sunt, eadem de quibuscunque beneficia Ecclesiastica obtinentibus, pro gradus sui conditione, observari decernit.*

2. Supellex sit munda: sordida enim & intuentes parum aedificat, & sanitati non congruit.

3. Sit sufficiens, qualis ad communem vitae necessitatem requiritur: superflua mundanis relinquuntur: ut monet S. Bernardus Epist. 2. ad Fulconem Canonicum Lugdunensem: *Dignum est inquit, ut qui altari deseruit, de altari & vivat: conceditur ergo tibi, ut si bene deservis, de altari vivas; non autem ut de altari luxurieris, ut de altari superbias, ut inde tibi compares fraena aurea, sellas depictas, calcarea*
dearg-

de argentata, varia, griseâque pellicea.
Denique quidquid præter necessarium
victum & simplicem vestitum, de altari
retines, tuum non est, rapina est, sacrile-
gium est.

C A P U T XXIII.

De Pastoris zelo animarum.

TAm necessaria est charitas Dei &
proximi, ortusque ex ea zelus
animarum, Pastori; ut sine iis sit, ve-
luti corpus sine anima, organum sine
flamine, lucerna sine lumine, lingua
sine voce, nomen Pastoris sine omine.
Imò de hujusmodi Curione dicere li-
cebit cum Zacharia c. II. *O Pastor!*
ô idolum, derelinquens gregem! *O Pa-*
stor solâ specie, re autem ipsâ idolum,
simulacrum, & larva Pastoris! Ne
id, mi Pastor, in te cadat: ante omnia
stude cognoscere, quid sit, aut in quo
consistat zelus animarum. 2. Verum
zelum à falso, fictitiôque discernere
conare. 3. Motiva & consideratio-
nes ad manum habe, quibus te sapius
ex

exstimules, & zelum refrigescentem, quasi lignis, foco cordis tui appositis, succendas.

Quæstio I. Quid est zelus animarum? Responderetur: est intensus veri amantis affectus, quo diligentissimè Dei honorem, salutemque animarum quærit, & quidquid his duobus opponitur, fortiter, & constanter repellit.

Hâc præstantissimâ virtute efferebuit Elias Propheta, cum ob honorem Dei, Prophetas Baal in publicum certamen evocavit, & eos tanquam Domini hostes interfecit. Quare dixit: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo Exercituum.* 3. Reg. 9. 14.

Hâc virtute æstuavit S. Paulus; qui dicebat: *Ego autem libentissimè impendam & superimpendar ipse pro animabus vestris.* 2. Cor. 12. 25. Et rursus *Quotidie morior (id est pericula mortis sustineo) propter vestram gloriam Fratres.*

Verùm præ omnibus, hujus virtutis igne inflammatus fuit Salvator noster
Christus,

Christus, de quo scriptum est: *Zelus domus tue comedit me.* (Psal. 68. 10.)

Qui pro ovibus suis animam posuit, quos guttâ redimere potuisset; toto sanguine redemit: in singulis membris acerbissima sustinuit, & vitam infiniti valoris profudit.

Quaestio 2. Quænam verò sunt zeli actiones, quas Pastorem exercere decet? Respondetur à S. Alberto M. in Paradiso animæ c. 26. ubi ait: *Zelus animarum verus & perfectus est, quando quis sanctis meditationibus, ferventibus desideriis, lacrymis, orationibus, vigiliis, jejuniis, prædicationibus, confessionibus, consiliis, doctrinis, atque aliis operibus bonis, pro salute animarum laborat.* Cui doctrinæ Pastor se conformet & practicas ex ea, conclusiones sequentes deducat.

1. Pastor zelofus, sæpe meditetur de zelo animarum, ejusque motivis, item de mediis, juvandi animas, adeò in oculis Dei pretiosas.

2. Libentissimè confessiones excipiat,

M

piat,

piat, ut animas Jesu sanguine mundet,
& è faucibus Diaboli eripiat.

3. Ferventes conciones habeat, ad
easque quàm diligentissimè se præpa-
ret, & pro fructu faciendo, gratiam
Dei imploret.

4. Doctrinam Christianam, eaque
in primis, quæ necessaria scitu sunt,
tam necessitate mediæ, quàm præcepti,
indefessè pueris rudibusque, tan-
quàm res summi momenti, inculcet.

5. Indies, nisi impedimentum in-
terveniat, sacrificet, & tam sacrificia,
quàm pensum horarum, aliasque pre-
ces, pro salute sibi commissorum Deo
offerat; atque ut efficaciora reddan-
tur, jejunia operaque pœnosa quan-
doque adjungat, uti & eleemosynas:
*Bona enim, est oratio, cum jejunio & ele-
emosyna. Tobia c. 12 8.*

6. Quidquid per talenta, à Deo do-
nata, & vires gratiâ divinâ roboratas
& adjutas licet, pro salute animarum
efficere allaboret.

7. Si majus Dei obsequium & glo-
ria

ria Dei major speretur; pauperes divitibus, ignobiles nobilibus, idiotas sapientibus præferat, iisque ministeria sua impendat, quamvis nemini deesse debeat: cum in personis honoratis & magnis, major nonnunquam fructus referatur, quàm in despectis.

8. Ea quæ laboriosa sunt, prælationibus & officiis honorificis; humilia & secura, altis ac periculosis, si magis Deo grata, proximisque utilia sint, libenter anteponat.

9. Minimè omnium, propriam familiam negligat; sed singulas ejus personas & veritatibus fidei imbueret, & à peccato deterrere, & ad virtutem, tum dictis, tum exemplis, speciali ratione, provocare conetur. *Qui enim suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit & est infideli deterior.* I Tim. 5.

10. Reddendam de hac re, uti & de omnibus quibus sibi creditis, supremo Judici rationem, frequenter meminerit; pœnamque omnibus ne-

gigentibus Pastoribus destinata, vehementer reformidet: præmium verò immensum diligentibus præparatum confideat speret.

11. Omnia commoda, facultates, vires & propriam vitam, in præparatione animi, imò & ipso opere, si necessitas postulàrit, pro gloria Dei & animarum bono, profunderè non vereatur. Ita erit Pastor bonus, non mercenarius.

12. Ante omnia, propriæ salutis profectui in perfectione, sedulò studeat; ex eo enim profectus aliorum pendet.

13. Sanctæ conversationis exemplo omnes sibi commissos ædificare atque juvare conetur, atque in eo plus operæ, quàm in verbis, aliisque externis laboribus collocet. *Verba movent, exempla trahunt.*

14. Pro Dei gloria & animarum salute alacriter & strenuè laboret; & ex hac alacritate, fervidè & perseveranter ad omnes pastorales, labores

ac molestias profiliat. *Hilarem datorem diligit Deus.*

15. Quod si laboribus ejus, fructus optatus non respondeat: fructum uberem à Domino postulet: *Petite & accipietis, si Deo placuerit; quod si non placuerit; de premio suo certus acquiescat, & tempus visitationis divinae cum patientia & spe praestolatur.*

Quaestio 3. Quænam falsi zeli indicia & effectus?

1. Qui in administratione Sacramentorum, rerumque spiritualium, majorem pro pecunia, aut dono, quam pro anima & gratia sollicitudinem gerit: evidens falsi zeli argumentum habet: nec potest cum Apostolo dicere: *non quero vestra, sed vos.* 2. Corinth. 12.

2. Qui majorem pro amicitia & favore hominum, quàm pro eorum salute & perfectione, laborem adhibet; non apostolico, sed falso zelo agitur.

M 3

3. Quæ

3. Qui ad confessiones audiendas plùs trahitur lucro, favore vel delectatione, quàm animarum salute; adeoque libentiùs audit nobiles, divites, juvenes, formosos, quàm ignobiles, pauperes, senes, deformes, licet minori fructu; evidens fucati zeli iudiciù habet. Nam ut ait S. Jacobus c. 2. *Nónne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide & heredes regni, vos autem inhonorastis pauperem.*

4. Qui plùs afficitur, trahiturque ad opera illa, quæ annexum habent laborem & simul consolationem aut honorem; ut sunt prædicatio, prælatura, & similia, cum periculis conjuncta; quàm ad illa quæ habent laborem absque consolatione aut honore, ut sunt catechesis, confessio, aliæque opera pœnosa; licet sint absque periculis; zelo insincero se regi, meritò judicat.

5. Ad conciones negligenter se præparare. 2. Templum adire cùm datur præsentia, aliàs emanere. 3. Divites

vites agros & moribundos, invisere, non pauperes. 4. Aegrè ferre divites & honestiores alium Confessarium accedere, non pauperes. 5. Cum divitibus blandè & diuturna colloquia miscere, pauperes citò & siccè dimittere. Zeli haud probati sunt argumenta; adeoque Pastori zeloso cane pejus & angue fugienda; ne audiat aliquando illud Christi Domini: Matth. 6.2. *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.*

Quaestio 4. Quænam motiva, ad zelum animarum flaccescentem in Pastore excitandum, instaurandumque apta?

Motivum 1. Exemplum Christi Domini: qui in omni vita sua conversionem peccatorum & perfectionem bonorum, tanto fervore sitivit, ut pro recuperatione animarum venditarum, singula membra sua ad singularem pœnam; & tandem animam suam ad atrocissimam, probrosissimamque mortem obtulerit. O quan-

ta dignitas animarum, exclamat cum S. Ambrosio S. Albertus M. in paradiso c. 6. & quantus zelus Dei ad animas, pro quarum redemptione pretiosum sanguinem suum totum obtulit Dei Filius Deo Patri; cum tamen vel unica gutta, tam pretiosi sanguinis, ad totum genus humanum redimendum suffecisset. Imò tantus zelus, ut S. Brigittæ dixerit Redemptor noster L. 1. Revelat. c. 10. Adhuc iterum libenter morerer pro homine, si esset possibile. Et l. 7. c. 19. Si esset possibile, ut toties morerer, quot sunt anime in inferno; adhuc corpus meum paratum esset subire hæc omnia, cum libenti voluntate, & perfectissima charitate.

Motivum 2. Exemplum SS. Virorum, Apostolorum, Martyrum, Episcoporum, Pastorum, Sacerdotum & Confessorum, qui incredibiles labores, sudores, curas, molestias, & fatigationes perpeffi; & plurimi vitam & sanguinem pro animarum lucris profudere. Sciebant enim ex S. Dionysio

Dionysio

nylio de cœlest. Hierarch. c. 3. *Omni-
um divinorum divinissimum esse, coope-
rari in salutem animarum. Et nullum
omnipotenti Deo tale esse sacrificium,
quale est zelus animarum. S. Gregori-
us hom. 12. in c. 4. Ezech. Et majore-
rem neminem habere charitatem, quam
si animam suam ponat pro amicis suis.*

Motivum 3. nobilitas, præstantia
& pulchritudo animæ. De qua di-
cere solita S. Catharina senensis, si
quis eam videret, centies pro ea si
posset, mortem oppeteret. Sanctus
verò Chrysostomus & S. Bernardus
his verbis conqueruntur: *Heu quòd
tam parùm attendimus animæ nobilita-
tem! quâ presente corpus vivit; cujus
absentia probat, quid presentia contulit:
quam Deus tanti estimavit, ut Unigeni-
tum suum pro ea daret: quam Diabolus
tanti reputavit, ut pro ea totum mun-
dum offerret. Et idem S. Bernardus
L. medit. c. 3. Totus iste mundus ad u-
nius animæ pretium estimari non potest:
non enim pro toto mundo Deus animam*

M 5

suam

suam dare voluit, quam pro anima humana dedit. Sublimius ergo est anima pretium, quæ non nisi sanguine Christi redimi potuit. Quam ergo commutationem dabis pro anima tua; qui pro nihilo das illam?

Motivum 4. Quanta Dei gloria vel ex unius animæ conversione & salute enascitur? Unica enim anima in cælo per totam æternitatem, plus gloriæ, laudis & honoris Deo confert; quàm omnes homines simul præcisè in hac vita contulerunt, aut usque ad finem mundi conferent: hæc enim est finita, illa gloria est infinita & æterna: finiti autem ad infinitum nulla est proportio. Quanta igitur lætitia & exultatio Deo, Sanctis & Angelis, quantum gaudium ipsi Pastori ex conversione & salute vel unius animæ nascetur totâ æternitate? quas illa gratias Deo & ipsi referet? Accedunt æternæ blasphemix, diræ, maledicta, quæ aliàs anima ista, nisi conversa fuisset, in perennibus Inferni incendiis, despera-

sperabunda in Deum evomitura fuisset, quæ mala horrenda, per Pastorem velut instrumentum, impedita fuere.

Motivum 5. Diaboli fames, sitis, furor & rabies animas perdendi & in damnationis æternæ barathrum præcipitandi. In hunc finem tanquam leo rugiens, diu noctûque circuit, quærens quem devoret. Hinc tentationes infert, tot machinationes parat, tot laqueos struit, & per se & per ministros suos, ut animas incautas fallat, capiat, illaqueet & in cruciatus inferni perpetuos miseras devolvat. Hinc tanta quotidie animarum fit strages; & tot milliones ad Tartarum descendunt. *Dilatavit infernus animam suam & aperuit os suum absq̃ ullo termino; & descendent fortes ejus, & populus ejus, & sublimes gloriosique ejus ad eum. Isaia 5. 14.*

Ex his motivis, ô Pastor, aliquando hoc, vel illud, si placet, perpende, & tepore eliminato, facile zelum tuum accendes, & veri zeli actiones,

M 5

falsis

falsis declinatis, promptè, alacriter & constanter, pro Dei gloria & animarum salute exercebis.

CAPUT XXIV.

De Iustitia, Fortitudine, Patientia, Hospitalitate, Misericordia & Sollicitudine Pastoris.

I. Iustitia duplici modo accipitur, semel pro complexione omnium virtutum: de hac dicitur: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam*, Matth. 5, scilicet perfectionem. Aliàs accipitur pro particulari iustitia, quæ est virtus voluntatis, tribuens unicuique quod suum est. Hanc virtutem Pastor & amare, & prædicare debet, exemplo Domini, qui per Ezechielem prædixit c. 34. *Pascam illas in iudicio.* 1. In iudicio maturo, sapientia & discretionis. 2. In iudicio, id est justè, dans cuique quod ei convenit. Debet ergo dare Deo quod Dei est, Fidem, Spem, Charitatem & Religionem, laudem, gratiarum actionem pro beneficiis, satisfactio-

factionem pro peccatis. 2. Debet dare proximo, quod illi debetur. Nunquam facere proximo, quod sibi justè non vult fieri, hoc est, nunquam lade-
re vel offendere verbo, facto, signo, consilio, in rebus, in corpore, in honore; nunquam suspicari, detrahere, in bono impedire: sed ipsum honorare, omnia in meliorem partem interpretari, in bono congaudere, in malo condolere. Debet dare suis Prælati, honorem, reverentiam, amorem & obedientiam. Suis Parochianis verbum prædicationis, exemplum conversationis, administrationem Sacramentorum, & orationem, in distributionibus aut proportionem, aut æqualitatem, prout exigit justitia; pauperibus eleemosynam, tristibus solatium, dubitantibus sanum consilium, pœnitentibus correctionem & medelam, rudibus instructionem, omnibus, si necesse, ipsam vitam suam. His Deo amatori justitiæ, placebit Pastor:
Justus Dominus & justitiam dilexit:

278 *De Justitia, fortitudine, &c.*
aquitatem vidit vultus ejus. Psalm.
10. Dominus diligit justos. Psalm.
145. illisque ab eo reposita est corona
justitiae. 2. Tim. 4.

II. Fortitudo, est virtus animi, quã labores, mortisque pericula constanter suscipiuntur & perferuntur. Sicut radix arboris, sustentat, truncum, frondes, flores, fructus, & folia; ita hæc virtus teste S. Bonaventura, sustinet omnium aliarum virtutum actiones & merita. Hæc virtus convenit Pastori: is enim debet labores & pericula sustinere, & cum oportet eadem aggredi, animamque pro ovibus ponere. Unde hortatur Apostolus 2. Corinth. 15. *Fratres, estote stabiles & immobiles, abundantes in omni opere Domini semper. Fortitudo non timet eos, qui occidunt corpus; sed Dominum, qui potest animam in gehennam mittere. Matth. 10.*

III. Patientia, fortitudini cognata, & mansuetudo, Parocho non raro est necessaria in laboribus magnis, in

CON-

concionibus, in confessionibus indefessè excipiendis, præcipuè rusticorum & rudium. *In laboribus plurimis.* ait Apostolus 2. Corinth. 11. Deinde in tolerandis adversariis, in contradictionibus, in calumniis, sive per homines malevolos, sive per Dæmones excitatis, quæ zelosum Pastorem, mores depravatos corrigentem, crebriò imperunt. 1. Corinth. 16. *Ostium mihi apertum est magnum, & adversarii multi.* Ferat itaque hæc omnia patienter, libenter, & constanter Parochus, & se Christi exemplo animet: *Nonne hæc oportuit pati Christum & ita intrare in gloriam suam? Non est servus melior Domino: Si Patrem familias Beelzebub vocarunt, quanto magis Domesticos ejus?*

IV. Hospitalitas, quæ est actus charitatis, quo proximus amore Dei frugali mensâ & hospitio gratis excipitur. Ad quam tria requiruntur. 1. Pura intentio, scilicet propter Deum. 2. Frugalitas seu moderatio, absque excessu

280 *De iustitia, fortitudine, &c.*
excessu in multitudine cibi, potus, &
rebus in habitatione nimis pretiosis,
alioquin est prodigalitas. 3. Libera-
litas. Ad hospitalitatem hanc horta-
tur Concilium Constantinopolitanum
III. c. 9. *Admonendi sunt omnes, ut ho-
spitalitatem diligant.* Excipiat ergo
Pastor hospites, quantum facultates
permittunt, cum discretione, hilari-
tate & accuratione, ut nihil desit.
Tum Religiosos pauperes, tum facu-
lares egentes, tum Benefactores, tum
etiam quandoque amicos & consan-
guineos. Ita implebit illud Christi.
Hospes eram & collegistis me. Matth. 25.
Telle enim S. Hieronymo c. Quoniam
16. q. 1. *Quidquid habent Clerici, pau-
perum est, & ideo susceptioni Hospitum
& peregrinorum invigilare debent.*

V. Misericordia seu eleemosyna;
Pastor est quasi communis, ut diximus
suprà, parens Parochia & Pater pau-
perum; quantum igitur per media li-
cet, cunctis conetur benefacere; &
observare monitum Tobia senioris
Tob.

Tob. 4. 8. *Quomodo potueris, ita esto misericors: Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude: Premium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis, quoniam eleemosyna ab omni peccato & a morte liberat; & non patietur animam ire in tenebras. Sit igitur Pastor misericors; de superfluis praesertim; cum SS. Patres & Concilia unanimiter asseverent: Bona ecclesiastica, quae Sacerdotibus redundant, esse res alienas, bona pauperum, patrimonium Christi & qui ea in alios usus, quam pios, ac in pauperes expendunt, esse fures, sacrilegos, raptores. Pascat itaque Pastor ventres famelicos, ita melius quoque influet & pascet mentes.*

Non existimet autem satis esse, unum, alterumve ex consanguineis locupletare: potest quidem Parochus, ubi aequalis est illorum necessitas, illos in eleemosynis praeferre aliis egentibus: Sed dandum illis, ut egentibus, non ut agnatis. *Si consanguinei*

282. De iustitia, fortitudine, &c.
guinei pauperes sint, eis ut pauperibus
distribuant. Concil. Trid. sess. 25. c. 1.
Cum tamen inter hos & alios magnum
indigentia discrimen est, prius iuvandi
illi, qui sibi ipsis prospicere non va-
lent, quam iis, quibus, cum prospe-
ctum fuerit, otio se dedunt. Adde, si
Agnati egent, soli tamen non egent,
unde etiam ipsis solis totum dandum
non est; sed proportione servata, a-
liis quoque succurrendum. Denique
detur agnatis, quod sufficit, ad pra-
sentem indigentiam sublevandam, non
verò tribuatur tantum, ut ditescant.
Rectè S. Ambrosius. Est probanda illa
etiam liberalitas, ut proximos seminis tui
ne despicias, si egere cognoscas; non ta-
men ut illi ditiores fieri velint, ex eo quod
tu posses conferre inopibus. Neque enim
te Domino dicasti, ut tuos divites facias.
Dist. 86. c. est probanda. Quod se ci-
tra jactantiam, fecisse professus est S.
Augustinus ad Erem. ferm. 21. Gratiâ
Dei & vestris orationibus, nondum dita-
vi quenquam consanguineorum, quia
chario-

chariores mihi reputo pauperes. Nec curandum est Parocho, licet Agnati conquerantur: quid enim queruntur? Accusant quod eos divites non feceris, cum te illi velint eterne vite fraudare mercede. Dist. 86. c. est probanda.

VI. Sollicitudo Pastoralis, quæ unicè Pastori convenit. Apostolum Paulum urgebat sollicitudo omnium Ecclesiarum, Pastorem, propriæ Ecclesiæ seu parochiæ sollicitudo teneat. *Qui præest in sollicitudine. Rom. 12. 8. Sollicitudine non pigri. 1. c. Quis infirmatur & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* Sollicitudo hæc Pastoralis S. Carolum Borromæum, Pastorum Patronum, gloriosum reddidit, ut in oratione de eo, canit Ecclesia. Eadem Parochum quemcunque magnam in cælo gloriam coronabit, si vigilante curam, omnibus sibi commissis, omnia vera bona pro viribus procurare; omnia vera mala averruncare studuerit.

Advigilet itaque Parochus ut suam
moram

284 *De justitia, fortitudine, &c.*
morâ vel negligentia, nullus Parce-
cia sua infans; absq; Sacramento Ba-
ptismi decedat. 2. Sacramentum Con-
firmationis, ne nimis diu differatur,
aut negligatur, allaboret. 3. Com-
munio Paschalis, ut à nemine prater-
mittatur, curet. 4. Extrema Unctio-
nis salutari Sacramento, ne ullus ex
neglectu aut contemptu, priveretur, at-
tendat. 5. Vinum crematum in ta-
bernis, sub concione, missave sacrifi-
cio, diebus festivis potari, ob quod
divina officia non rarò intermittun-
tur ne patiatur. 6. Procuret etiam,
ut iidem Adolescentes & juvenes ru-
sticani non semper pecorum custodiâ
à catechesi arceantur; sed per inter-
valla alternent; ne penitus rudes ado-
lescant ac silvescant. 7. Publica disti-
dia, scorta, odia, scandala, tripudia,
aliasque ejusmodi animarum pestes à
parochia sua proscribere conetur: ne
alienorum peccatorum se reddat par-
ticipem. Quoniam verò ad dicta ma-
la eliminanda, necessaria est, Pastoris
non

non solum cura & vigilantia, verum etiam presentia; à Parochia sua non absit: sed tanquam Speculator, velut è specula, hostes observet, velut Sal, à putredine servet, velut Sol, vesperationes & noctuas scelerum, fuget: & instar Regis seu Directoris auctoritatem habentis, *Dissipet omne malum intuitu suo.* Proverb. 20. 8. Imploratà etiam, si necesse sit, altiore potestate.

C A P U T XXV.

De Residentia Pastoris.

Residentiam personalem Pastoris requiri in parœcia, non minùs atque in arce, ab hostibus oppugnata Governatorem, Navarchum in navi, in statione assignata militem, jus divinum, naturale & humanum probat: & quidem i. jus divinum; quia Christus instituens Pastores, non jus pascendi solum contulit, sed opus & exercitium pascendi imperavit: *Pasce oves meas.* *Qui Episcopatum desiderat,*

rat,

rat, bonum opus, id est laborem, desiderat. Opus fac Evangelista. Est enim Pastor operarius & servus Christi, non Dominus: Dominus vacare & domo pro libitu exire potest, non servus, qui laborare & domi manere ad Domini arbitrium debet. 2. Jus naturale idem confirmat. Ex officio & obligatione, Pastor debet pascere instruendo, exemplum dando, Sacramenta administrando; at qui hæc absens poterit? *Vos estis Lux mundi.* Sol absens & in altero mundi hemisphærio constitutus, in hoc radios non spargit: Magister est, columna est, Sol est, speculator est, civitas refugii & solatium afflictorum est, quæ munera, qui absens rectè obire poterit? 3. Jus humanum, legere est in Concilio Romano sub Sylvestro; in Lateranensi, Antiocheno, Sardicensi & aliis ac novissimè in Tridentino, quod ita decernit: *Declarat sacrosancta Synodus, omnes Ecclesiis quibuscunque, quocunque nomine & titulo prefectos, obligari ad*
 perso-

personalem residentiam: ubi injuncto sibi officio fungi teneantur. Sess. 23. de reform. c. 1.

Nec dicas, te per alium supplere: At Concilia exigunt ut per te facias, hinc præscribunt residentiam personalem. Alius, quem substituis, est mercenarius, spectans non ovium utilitatem, sed mercedem: mercenarius non curat, utrum oves pascantur herbis saluberrimis, an communibus, an pingues sint, an macræ: quia non pertinet ad eum de ovibus. Non igitur gerit viscera pietatis, quæ solet Pastor. Ad hæc Pastor ovium, Minister est, non Dominus, dicit enim Christus, *Pasce oves meas*, non autem dixit, *tuas*: Substitutus autem, alium sibi nequit substituere pro libitu: quomodo Laban Dominus numerosi gregis, Jacobum sibi substituere poterat, non verò Jacobus alium, quia non Dominus, sed servus erat. Non tamen hinc nego, licere Pastori, numerofo gregi pascendo, in certis occasionib⁹, subsidia-

riam

riam operam adhibere, aut Adjutorem stabilem optare, idoneum tamen & cum consensu Episcopi: aliud enim est Sacellano, ut Adjutore uti; aliud totum onus pastorale, curamque omnem in ipsius humeros transferre; quod posterius fas non est. Unde reprehensione digni sunt Pastores, totum laborem & animarum curam in Sacellanum transferentes, ut ipsi liberius, consanguineorum negotiis, agris colendis, aut œconomia vacent. Quin potius hi in re familiari adjutorem quarant, ne agros pecunias ac temporalia, plus quam animas se amare & aestimare demonstrent. Cui rectius vices suas committeret Moyses, quam Fratri suo Aarone? & tamen sub hoc, populus, quod tot annorum decursu, sub illo non fecerat, in idolatriam incidit, quam Aaron ipse promovit, dum idolum conflavit.

Gerat ergo Pastor ipse curam ovium suarum, easque ipse pascat: non dixit Christus, fac pascere, sed pasce: quantum

quantum Adjutor Pastori demit laboris, tantum æternæ & pretiosæ admittit mercedis Nec discedat ab ovibus suis, ne lupus eas invadat; maneat inter eas ut Magister inter Discipulos, ut sol inter stellas, ut Dux inter milites, easque verbo & exemplo & Sacramentorū pabulo præsens reficiat, ne per mercenarium negligentur, vel scabie aut fame pereant. Gerat itaque Pastor sollicitudinem. Et quemadmodum Apostolo incumberebat: *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* 2. Corinth. 11. 28. Ita Pastor suæ Ecclesiæ, sibi que à Deo commissæ, curam & onus sustineat, omnium curarum & laborum suorum præmium recepturus æternum.

CAPUT XXVI.

Epilogus 1. Partis Manualis.

AD modum Reverendi, Doctissimi
 Amique DD. Pastores, hisce primam Manualis partem, de virtutibus
 & qualitatibus internis Pastoris ter-

N

minu-

minamus; monentes, ut nemo nos, arcum nimum tendere, & alta nimis aut sublimia, ac statum Pastorum excedentia proponere iudicet: regimen enim animarum magnam perfectionem requirit; ad quam Pastor indies magis, magisque tenetur tendere. Sane si Christus Dominus Sapia Patris, rudi populo & plebecula infima summos perfectionis apices proposuit, quales sunt: *Estote perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Oportet semper orare. Qui non renunciat omnibus, quae possidet, non potest meus esse Discipulus, quis vitio vertet, Parochis proponi virtutes parochiales, sine quibus non Pastores; sed umbra & larva sunt Pastorum?*

Quare initio praemisimus media & instrumenta virtutum, scilicet scientiam, fugam peccatorum, intentionem, orationem, meditationem ac mortificationem: ac deinde ad virtutes ipsas progressi sumus, primò
Theo-

Theologicas, Fidem, Spem, Charitatem; tum ad morales, Prudentiam, Temperantiam & reliquas. Sine quibus Parochum debite suo fungi officio, omnino est impossibile.

Proinde iterum iterumque hortamur & obsecramus in Domino, ut Pastores hęc virtutibus adeò sibi necessariis sedulo studeant, & media necessaria adhibeant: quibus easdem procurrent. 1. Per gratiam Dei & suam seriam cooperationem. 2. Proponendo sibi exempla Christi ac Sanctorum. 3. Conscientiam serio & crebro examinando, particulari quoque examine utendo. 4. Fervens desiderium excitando. 5. Virtutes probe cognoscendo. 6. Easdem summe aestimando & appetiando. 7. Eas à Deo. o. m. saepe postulando. 8. Sui diffidentiam contipiendo, & fiduciam in Deo collocando. 9. Assidue se in iis exercendo, & nullam occasionem exercendi pratermittendo. Quibus mediis eas infallibiliter obtinebunt;

N 2

Illis

Illis autem obtentis, ô quàm divites, quàm felices & beati erunt? 1. Virtus enim est summum bonum in hac vita. 2. Est proprium bonum nostrum: nam bona fortunæ, sunt aliena. 3. Est summæ jucunditatis, exstruit enim in homine paradisum, amœnitatem, fecunditatem, securitatem. 4. Præcellit gaudia mundi continuitate, puritate, dignitate, salubritate. 5. Introducit in animam, conscientiam puritatem, virium animæ sanitatem, veram libertatem, cogitationum tumultuosarum pacem, inordinatarum affectionum harmoniam, jucunditatem boni operis, discretum regimen corporis, cum divina conformationem humanæ voluntatis. 6. Est nota Electorum, unctio ad regnum, pretium regni cœlestis. 7. Est à Christo verbo & exemplo commendata, vita spiritalis, nobilissimorum effectuum causa, quæ levat hominem supra se, reddit felicem, defendit in malis, decorat animas, mira patrat in corde, in cœlo,

cælo, in mundo, in inferno. O nobilis! ô cœlestis! ô divina Virtus! mater veræ sapientiæ, scientiæ sanctorum magistra; hæreditatis æternæ pignus & arrha! Quidnam sub sole tibi comparari poterit? Nihil, omnino nihil: Unde proposui illam regnis & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius: nec comparavi illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen illius; Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius.

Sap. 7.



N 3

PARS